DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

EFFECTU BAPTISMI JURIDICO,

QUAM

DEO T. O. M. ADNUENTE

IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DOMINO

JAC. FRIDER. LUDOVICI,

J. U. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI

AD D. OCTOBR. MDCCXIII.

IN AUDITORIO MAJORI

HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

DIETHERIC. FRID. LUDOLPH. WEINHAGEN,

SUSATENSIS-GUESTPHALUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis IOAN, CHRIST. GRUNERTI, ACAD. TYPOGR.

Recuſa 1745. (7)

Digitized by Google

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE EFFECTU BAPTISMI JURIDICO.

CONTENTA TOTIUS DISSERTATIONIS.

R*Ecenſetur diſputatio de Baptiſmo in Academia Jenenſi olim habita*, §. I. *dubium, an materia de baptiſmo ad cathedram juridicam pertineat? cum diſtinctione inter effectum ſpiritualem & eum, qui in negotiis civilibus conſpicitur*, §. II. *diſſertatio Jenenſis materiam de effectu baptiſmi juridico ex inſtituto non pertractavit*, §. III *in titulo decretalium de baptiſmo & ejus effectu etiam pauca, imo nulla reperiuntur, quæ ſcopo præſenti inſervire queant*, §. IV. *Prima quæſtio: utrum mancipia Turcica per baptiſmum manumiſſa cenſeantur?* §. V. *adducuntur fundamenta eorum, qui quæſtionem adfirmant*, §. VI. *fundamenta negantium*, §. VII. IIX. & IX. *nos negantibus accedimus. Adduntur nonnulla, quæ ulterius adhuc ad illuſtrationem ſententiæ negativæ facere poſſunt*, §. X. *modus manumittendi per baptiſmum apud Germanos quondam non fuit in uſu*, §. XI. *an in legibus Svecicis fundamentum habeat?* §. XII. *Cognatio ſpiritualis in jure canonico & à Canoniſtis pro effectu baptiſmi juridico venditatur. Triplex cognatio ſpiritualis*, §. XIII. *directa & indirecta*, §. XIV. *an inter filios filiasve duorum compatrum ejusmodi cognatio contrahatur?* §. XV. *ſi illi, qui ſpiritualiter cognati ſunt, ma-*

 trimo-

trimonium de facto inierunt, ſeparatio conjugatorum iterum fieri debet, §. XVI. *quid ſi ipſe pater filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperit?* §. XVII. *deliberatio in concilio Tridentino de tollenda, vel reſtringenda cognatione ſpirituali,* §. XIIX. *reſtrictio ſaltem decreta fuit,* §. XIX. *& juxta hanc reſtrictionem adhuc hodie apud Romano-Catholicos obſervatur,* §. XX. *Evangelici è contrario cognationem ſpiritualem pro mero invento humano, eoque conſcientiis gravi reputant,* §. XXI. *Lutheri ſententia de cognatione illa,* §. XXII. *quamvis cognatio ſpiritualis in certo caſu etiam in legibus Romanis fundamentum habeat, propterea tamen non eſt opus, ut hodie in illo caſu diſpenſatio Principis impetretur,* §. XXIII. *De presbytero non baptizato & utrum ille ordinis characterem recipiat?* §. XXIV. *quid, ſi ab omnibus creditum fuerit, presbyterum baptizatum eſſe, & demum poſt mortem ejus conſtiterit, eum baptizatum non fuiſſe?* §. XXV. *qui ipſe non eſt baptizatus, ille nec in actu baptiſmi alterius patrinus eſſe poteſt,* §. XXVI. *utrum is, qui ante baptiſmum ſuſceptum mortuus, in eodem loco iisdemque ſolemnitatibus ſit ſepeliendus, in quo & quibus adhibitis alii jamdum baptizati ſepeliri ſolent? negant Pontificii. Caſus lepidus de infante dubio baptiſmo intincto & hinc etiam in loco dubio ſepulto,* §. XXVII. *Evangelicorum ſententia cum ſubjuncto loco ex ordinatione eccleſiaſtica Saxonica,* §. XXIIX. *locus ex ordinatione eccleſiaſtica Ducatus Magdeburgici,* §. XXIX. *Controverſia de ſepultura infantum nondum baptizatorum inter Romano-Catholicos ex una & Univerſitates quaſdam Reformatæ religioni addictas,* §. XXX. *ſtatus controverſiæ: utrum Romano-Catholici in illis locis, in quibus religio mixta deprehenditur, evangelicos eo adigere queant, ut parvulos non baptizatos etiam in peculiari loco ſepeliant?* §. XXXI. *negatur. Reſpondetur ſimul ad textus ſcripturæ, qui obſtare videntur,* §. XXXII. *Textus in inſtrumento pacis Weſtphalicæ de probibita turbatione poſſeſſionis templorum Evangelicorum & pertinentiarum,* §. XXXIII. *turbationem talem involvit, ſi quis ab Evangelicis exigere vult, ut parvulos non baptizatos in peculiari loco extra coeme-*

coemeterium ſepeliant, §. XXXIV. *Evangelici non tenentur probare, quod A. 1624. parvulos ante ſuſceptum baptiſmum mortuos in cœmeteriis ſuis ſepeliverint*, §. XXXV. *Romano-Catholici de ſcandalo conqueri non poſſunt, quando Evangelici ejusmodi parvulos in cœmeteriis ſuis ſepeliunt*, § XXXVI. *idem regulariter etiam eo caſu obtinet, quando Evangelici extraneis concedunt, ut hi tales parvulos in ſuis cœmeteriis terræ mandent*, § XXXVII. *utrum infideli delinquenti pœna promerita propterea ſit remittenda, quod fidem chriſtianam amplexus fuerit & baptiſmum quoque actu ſuſceperit? Textus ex jure canonico pro ſententia adfirmativa*, §. XXXIIX. *Autores hanc ſententiam foventes*, §. XXXIX. *Tiraquellus negativam defendit*, §. XL. *an Paduæ juxta nonneminem contrarium obſervetur?* §. XLI. *Farinacius adfirmativæ ſubſcribit*, §. XLII. *ſubjunctis tamen duabus limitationibus*, §. XLIII. *noſtra ſententia, quod quidem judex inferior ex eo capite pœnam remittere non poſſit, bene tamen ſummus Princeps, adhibitis tamen regulis prudentiæ*, §. XLIV. *an conjux fidelis poſt ſuſceptum baptismum ab infideli divertere poſſit? ex principiis juris canonici quæſtio adfirmatur.* §. XLV. *aliter ex principiis Evangelicorum reſpondendum Reſpondetur ad textus, qui ex ſacra ſcriptura obſtare videbantur*, §. XLVI. *divortio tamen locus eſt, quando conjux infidelis baptizatum malitioſe deſerit*, §. XLVII. *utrum pro bigamo ſit reputandus, qui ante baptiſmum uxorem habuit & poſt ſuſceptum baptiſmum aliam ſuperinducit? textus contrarii in jure canonico. Noſtra ſententia*, §. XLIIX. *ſi infidelis contra jus divinum in contrahendo matrimonio peccavit, & poſt baptiſmum hoc peccatum adhuc durat, poſt ſuſceptum baptiſmum hoc emendare debet, quod exemplis illuſtratur*, §. XLIX. *quid ſi quis fratris filiam ante ſuſceptum baptiſmum duxiſſet?* §. L. *utrum liberi ante ſuſceptum à parentibus baptiſmum procreati admitendi ſint cum illis, qui poſt baptiſmum generati fuerunt? adfirmatur*, §. LI. *addita tamen limitatione*, §. LII. *an hereditas patris in parvulum ante ſuſceptum baptiſmum decedentem transferatur?* §. LIII. *de jure Sueonum & Gothorum*

Digitized by Google

vetuſto, §. LIV. *cognatio ſpiritualis ex baptiſmo proveniens non tribuit jus ſuccedendi nec ad tutelam ſuſcipiendam obligat*, §. LV. *miniſter eccleſiæ, qui aliquem baptizavit, jure prætendere non poteſt, ut baptizatus ejus miniſterio in audienda confeſſione peccatorum præciſe utatur*, §. LVI. *De aliis quæſtionibus remiſſive*, §. LVII. *an baptizatus adverſus chriſtianos militare poſſit?* §. LIIX. *effectus baptiſmi apud Pontificios intuitu campanarum*, §. LIX. *effectus baptiſmi perpetuus eſt*, §. LX. *peccant ergo anabaptiſtæ baptiſmum interantes*, §. LXI. *an omnes anabaptiſtæ capite plectendi?* §. LXII. *de iteratione baptiſmi juxta jus canonicum*, §. LXIII. *is, qui ſe ipſum, aut parentes, qui liberos lucri cauſa ſæpius baptizari faciunt, crimen falſi incurrunt*, §. LXIV. *an nomen in baptiſmo impoſitum mutare liceat?* §. LXV. *baptiſmus effectum producit, quamvis ab hæretico collatus fuerit*, §. LXVI. *de probatione baptiſmi*, §. LXVII. *concluſio Diſſertationis*, §. LXIIX.

§. I.

DE BAPTISMO in Academia Jenenſi A. MDCLXXXV. diſſertatio inauguralis habita eſt ſub præſidio illuſtris Lynckeri, tunc quidem Profeſſoris ibidem primarii, nunc vero Conſiliari imperialis aulici ſplendidiſſimi. Comprehendit illa octo capita, ſcilicet I. de baptizandis. II. de actu baptiſmi & in ſpecie de baptizantibus. III. de baptiſmo, qui fit in caſu extremæ neceſſitatis, germ. Jägtauffe, Nothtauffe. IV. de reiteratione baptiſmi. V. de baptizatis VI. de conviviis baptiſmalibus. VII. de patrinis & obſtetricibus. IIX. de contrariis baptiſmi. Singulorum capitum momenta ſpeciatim recen-

ſere

Digitized by Google

ſere ſuperfluum foret, cum citata diſputatio quinta vice jam recuſa in plerorumque manibus ſit & nos alios exſcribere non adſueverimus.

§. II.

Sed quid ad JCtos materia de baptiſmo? ita ſine dubio cogitabunt & dubitabunt nonnulli, quamprimum titulum etiam præſentis noſtræ diſſertationis in tabula publica adſpexerint. Eſt baptiſmus alterum ex duobus ſacramentis, quæ benigniſſimus Salvator, gentis humanæ reſtaurator, in novo fœdere inſtituit: at vero materia de ſacramentis ad cathedram theologicam pertinet, minime vero ad juridicam. Dubium hoc ita facili negotio removeri poſſe exiſtimamus, ſi modo diverſos ſcopos & fines, quos habent theologia & jurisprudentia, probe ab invicem diſtinguamus. Theologia de effectu baptiſmi *ſpirituali* agit, de regeneratione, remiſſione peccatorum & renovatione, ubi varie noſtratibus cum Pontificiis controverſiæ obveniunt, de quibus conſulendus Joh. Gerhardus *in confeſſ. cathol. l. 2. part. 2. art. 12. c. 3.* ſub rubrica: *de baptiſmi effectu.* Jurisprudentia vero eos ſaltem effectus conſiderat, qui in *negotiis civilibus* ex baptiſmo reſultant & de quibus nos proinde in præſenti diſſertatione unice ſolum acturi ſumus, neque limites inter Theologiam & Jurisprudentiam movebimus.

§. III.

Illuſtris Autor, cujus in §. I. mentionem injecimus, alias quidem materiam de baptiſmo, quatenus ea juridica eſt, plena manu expoſuit; interim tamen de effectu baptiſmi principaliter & ex inſtituto non egit, ſed interdum ſaltem unum, vel alterum caſum tetigit. Obſervandum & monendum hoc ideo fuit, ne quis exiſtimaret forſan, ac ſi nos actum agere vellemus de effectu baptiſmi juridico diſputaturi. Ceterum bona fide ſemper in-

dicabimus & hunc & alios Autores, ſicubi eorum tradita nobis ulteriorem meditandi occaſionem ſuppeditarunt.

§. IV.

In jure canonico etiam & in ſpecie in decretalibus Gregorii IX. Papæ peculiaris titulus *de baptiſmo & ejus effectu* habetur; verum pauca, imo nulla, ibi reperiuntur, quæ ſcopo noſtro in præſenti inſervire queant. Nam quæ in c. 3. contra hæreticos quosdam adſeruntur, quod ſcilicet parvulis etiam baptiſmus ſit conferendus, prout apud nos quoque fit, & quod baptiſmus intuitu parvulorum effectum ſuum habeat: hoc magis ad cathedram theologicam, quam juridicam, pertinere videtur & ſic non eſt hujus loci. Quæſtio enim de effectu ſpirituali eſt, non de civili, quem nos pro objecto habemus. Paria ſunt, quæ ibidem de baptiſmo amentium, dormientium, invitorum atque coactorum reperiuntur. Ita in c. 5. dicitur, non eſſe verum baptiſmum, ubi elementum aquæ deeſt, & in c. 6. prohibetur, ne a Latinis baptizatos Græci iterum rebaptizare audeant.

§ V.

Ut ergo ad ſcopum noſtrum propius accedamus, primo omnium tangemus quæſtionem a diverſis diverſimode deciſam: *utrum mancipia Turcica per baptiſmum manumiſſa cenſeantur?* adfirmativam defendit Dn. König *in Diſſert. de mancipiorum Turcicorum manumisſione baptiſmo implicita* Lipſiæ quondam ſub præſidio Dn. Ittigii habita: negativa autem plerisque magis placet. Nos, ut de tota controverſia eo melius conſtet, fundamenta ex utraque parte adducta breviter excerpemus noſtramque ſententiam deinde paucis ſubjiciemus.

§. VI.

Fundamenta ſententiæ adfirmativæ hæc perhibentur: (1) quod Pontifex Gregorius M. in epiſtola quadam ad Fortunatum Neapolitanum, cujus fragmentum continetur in *can. 15. diſt. 54.* decreverit, cogendos eſſe dominos, ut ſua mancipia, quæ ad chriſtianam fidem converti & baptizari deſi-

Digitized by Google

deſiderant, pro pretio dimittant, adeoque locorum Epiſcopos omni ſollicitudine eo laborare debere, ut omnibus modis in libertatem vindicentur. (2) Quamvis abſurdum non videatur, illos, qui in bello Turcico capti ſunt, ſervos etiam permanere debere, *arg. l. 5. ff. de captiv.* quamvis ejuraverint religionem Mahumetanam & chriſtiana imbuti ſint; cum ſententia ſit probata, ſervitutem perſonarum & dominicam poteſtatem legi divinæ non adverſari, Hahn. *ad Weſenb. tit. ff. de captiv. num. 1.* nec evangelium abolere politias, *1. Cor. 7. v. 21.* quam ob cauſam in Luſitania aliisque regionibus adjacentibus adhuc moris eſſe dicitur Bodino, ut capti Turcæ ſervi permanere debeant, licet religionem chriſtianam fuerint amplexi, quæ forte & ratio, cur uſus mancipiorum & vernarum etiam duraverit per tempus inter chriſtianos, in tantum, quod etiam eccleſiæ ſuos ſervos habuerint. Attamen cum charitate Chriſtianorum paululum increſcente inter eosdem ſervitus evanuerit; ideo palam eſſe, quod mancipia Turcica poſt baptiſmum non amplius priſtinam immanem ſervitutem ſubire, ſed potius vera chriſtianorum libertate frui debeant. (3) Confirmare hoc luculentiſſime Pium V. Papam, conſtitutione ſua A. 1566. lata, quæ habetur in magni Bullarii *Tomo I. num. 17.* quod edidit Laërtius Cherubinus, JCtus Romanus, in qua diſpoſuit Pontifex, captivos eorumque prolem a ſervitute liberari debere, ſuſcepto S. S. baptiſmate.

§. VII.

Negativa e contrario hiſce fundamentis nititur, (1) quod *can. 15. diſt. 54.* de judæorum ſervis ſolum loquatur, ut ſi quis de judæorum ſervitio, ſive judæus, ſive paganus, intra tres menſes (poſtquam judæus eum emerat,) ad religionem chriſtianam converti voluerit, pretium ejus, judæo ab emtore chriſtiano ſolvi: ſi vero poſt tres menſes id contingat, absque reſtitutione pretii & absque venditione liber fieri debeat. Ergo, dicunt, cum hic textus de dominis, qui judaicæ religioni addicti, diſponat, ille ad dominos,

nos, qui chriſtiani ſunt, applicari nequit, ceſſante prorſus ratione, ad quam Gregorius M. reſpexit. Conſtitutio enim ab eodem hanc ob cauſam concepta eſt, quia judæus non poteſt habere mancipium chriſtianum. Deinde etiam hoc caſu baptiſmum non ſemper vim manumiſſionis habuiſſe addunt, quodſi enim intra tres menſes primos ad religionem Chriſtianam ſe convertere voluerit mancipium judæi, idem in poteſtate domini chriſtiani, qui pretium domino priori judæo ſolverat, permanſit.

§. VIII.

(2) Regeritur, nullum eſſe dubium, quin tempore Apoſtolorum in primitiva eccleſia major inter chriſtianos fuerit charitas, quam ſubſequentibus ſeculis, & in ſpecie illis, ubi ſervitus inter chriſtianos ſublata fuit. Cum vero charitas illa non permoverit chriſtianos primos, ut ſervos etiam fideles manumitterent, uti videre eſt *Ephеſ. 6. v. 9. 1. Timoth. 6. v. 2.* certe etiam ſequentibus temporibus hoc factum non fuiſſe, præcipue cum eo tempore, quo ſervitus inter chriſtianos ſublata, chriſtiana charitas neutiquam creverit, ſed maxime potius decreverit. Porro, ſervitutem eo tempore in tantum ſaltem evanuiſſe, ut chriſtianus a chriſtiano captus ſervus non fieret, manſiſſe autem ad noſtra usque tempora, ut ſcilicet turcæ capti ſervi fiant. Et ergo, ſi chriſtiana illa charitas tunc temporis non impedivit initium ſervitutis in turcis, non poſſe etiam dici, quod ea impulerit chriſtianos ad turcas per baptiſmum manumittendos.

§. IX.

Quod (3) attinet, reſpondet, conſtitutionem Pii V. pertinere ſolum ad diſtrictum urbis Romæ & per conſequens eandem ad Germaniam male extendi. Deinde ipſam conſtitutionem aperte oſtendere, quod neque ex mente Pii V, neque Pauli III, (ad quem Pius V. provocat,) manumiſſio per baptiſmum ipſo quaſi jure facta fuerit, ſed per dationem ſpecialem conſervatorum & ſenatus Cameræ, poſtquam mancipia baptizata ad ipſos confugiſſent, & ergo baptizatos eo

non

non confugientes ſervos manſiſſe. Pluribus de hac controverſia egit illuſtris Thomaſius *in Dodecad. quæſt. promiſc. hiſtor. philoſ. jurid. Diſſ. & quæſt. 8.* §. *4. 5. 6. 7. & 8.* Dn. Titius *in jur. priv. Rom. german. l. 9. c. 12.* §. *15. & 16.* Dn. Summermann *in fac. genuin. jur. perſon. & rer. c. 1.* §. *60.*

§. X.

Nobis videtur, quod hæc ſententia negantium priori adfirmativæ præferri debeat. Quod enim ſuſceptio chriſtianismi & per conſequens baptiſmus vinculum ſervitutis, quod baptizatus alteri obſtrictus eſt, non tollat, hoc, ni fallimur, ſatis clare indicat Apoſtolus *1. Corinth. 7. v. 20. & 21. unusquisque,* inquit, *in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat; ſervus vocatus es? non ſit tibi curæ. Sed & ſi potes fieri liber, magis utere;* Equidem *verſ. 23.* dicitur: *pretio emti eſtis, nolite fieri ſervi hominum*; verum hic Apoſtolus de ſervitute ſpirituali, ut ita dicam, ſolum loquitur, ſcilicet, quod veri chriſtiani non debeant ſeſe ſubjicere traditionibus mere humanis, a quibus per Chriſtum liberati erant, quo in ſpecie pertinet circumciſio, de qua tunc temporis quæſtio agitabatur inter iudæos converſos, annon illa nihilominus neceſſaria ſit, non obſtante, quod quis chriſtianam fidem amplexus fuerit, conf. *verſ. 18. & 19. d. cap. 7.* Oneſimus aufugerat a domino ſuo Philemone. Miniſterio Pauli ad Chriſtum Salvatorem convertebatur, & nihilominus tamen Paulus ad Philemonem eum remittebat, qua remiſſione opus non fuiſſet, ſi baptiſmus & ſuſceptio fidei chriſtianæ Oneſimum a vinculo ſervitutis liberaſſet. Atqui, dicis, Paulus *verſ. 16. epiſt. ad Philemon.* expreſſe dicit: *quod Philemon Oneſimum non recipiat ut ſervum, ſed pro ſervo chariſſimum fratrem;* reſpondetur, hæc eo pertinere, quod Philemon in Oneſimum non debeat ſævire, prout hoc ſæpe fiebat ab illis, qui vera fide chriſtiana non erant imbuti; quod vero ipſa ſervitus civilis eo ipſo fuerit ſublata, hoc exinde probari nequit. Manet ſervitus, ſed tamen modus exercendi dominii in ſervum temperatur. Confirmat hanc

Digitized by Google

noſtram ſententiam B. Strykius *in intereſſ. controverſ. jur. in for. cap. 2. §. 12.* ubi in ſpecie adducit dictum Apoſtoli *1. Timoth. 6 v. 1. & 2. quicunque ſub jugo ſunt ſervi, ſuos dominos omni honore dignos ducunto, ne nomen Dei & doctrina blaſphemetur. Qui vero fideles habent dominos, ne eos contemnant, ſed potius inſerviant, quod fideles ſint ac dilecti.* Pie quidem faciunt domini, ſunt verba B. Strykii *loc. cit.* ſi ſervum baptizatum non amplius ut ſervum, ſed juxta monitum Apoſtoli ut fratrem habeant; quod ſi tamen id omittant, nullam legis pœnam incurrunt.

§. XI.

De modo manumittendi apud Germanos quondam uſitato multa refert Lehmannus *in chron. Spirenſ. l. 2. c. 20.* & inter alia hæc: Welcher geſtalt aber und mit was Proceß die Ledigzehlung der Leibeigenen fürgangen, davon hat man dieſe Nachrichtung, daß wie die Teutſche in Einführung der Dienſtbarkeit der Römer ernſtlichen Strenge gefolget: Alſo haben ſie auch bey Erledigung der Leibeigenſchafft und Ertheilung der Freyheit auf derſelben Proceß geſehen, nehmlich, daß ſolche in eines jeden Gawes Hauptkirchen in Gegenwart des Biſchoffs und Prieſter und der gantzen Gemeind fürgenommen werden ſollen, davon ein ſonder Geſatz des Inhalts: manumiſſiones in eccleſia ſunt celebrandæ, und iſt der Herr und der Leibeigene vor Biſchoff, Cleriſey und der gantzen Gemeind erſchienen, und hat der Herr dem Biſchoff einen Brieff übergeben, darinn vermeldet, welchergeſtalt und aus was Bewegnis er gegenwärtigen ſeinen Leibeigenen ſamt allen den Seinen aus der Dienſtbarkeit in die Freyheit zu ſetzen vorhabens, und zum Warzeichen den Leibeigenen dem Biſchoff zu Handen geliefert. Auf ſolche beſchehene öffentliche Bekäntnis und Anzeig hat der Biſchoff dem Archidiacono pflegen zu befehlen, daß er über ſolche Ledigzehlung einen öffentlichen Brieff aufgerichtet und dem Gefreyten zu Urkund mitgetheilet. Hactenus Lehmannus de modo manumittendi in eccleſia apud priſcos Germanos. De baptiſmo autem, quod & ille ad hosce modos relatus fuerit, Lehmannus nihil injicit.

§. XII.

Equidem apud Henricum Gieſebertum *in Juſtiniano harmonico l. 1. tit. 5. de libertin.* §. *1. num. 56.* ſequentia invenio: *quinque modos, vel ſpecies,* inquit, *quibus ſit* (1) *per redemtionem a propinquis,* (2) *per teſtamentum,* (3) *per baptiſmum,* (4) *per nuptias,* (5) *per adſcriptionem liberæ familiæ* (agnoſcunt) *Suec. LL. ant. ſec. Loccen. Ep. jur. diſq. 2. th. 11.* Hic baptiſmus inter modos manumittendi apud Suecos refertur. Verum, cum citatus ab ipſo Loccenii liber ad manus non ſit; mihi etiam non conſtat, an ille manumittendi modus apud Suecos in uſu ſit. Ego ad minimum de ea re valde dubito, præſertim cum Joh. O. Stiernhöck *de jur. Sveon. & Gothor. vetuſto l. 2. c. 4.* modos manumittendi reliquos quidem enumeret, manumiſſionis per baptiſmum vero mentionem non injiciat.

§. XIII.

Tranſeo ad *cognationem ſpiritualem,* quæ præcipue in jure canonico & a Canoniſtis, quos vocant, pro effectu baptiſmi juridico venditatur, ita ut matrimonium impediat. Triplicem vero olim fecerunt cognationem ſpiritualem, *paternitatem* ſcilicet, *compaternitatem & fraternitatem. Illam* contrahi voluerunt inter baptizantem & baptizatum, item inter baptizatum & patrium. *Iſtam* inter patrem & matrem baptizati ex una parte & baptizantem atque patrinum ex altera. *Hanc* inter baptizatum & filios naturales baptizantis atque patrinorum, v. Ziegler. *ad Lancell. inſtit. jur. canon. l. 2. tit. 13.* §. *1. verb. ſpiritualis cognatio eſt.*

§. XIV.

Compaternitas illa ſpiritualis, quæ & certo reſpectu *commaternitas* vocari poteſt, juxta veteres canones ulterius dividitur in *directam,* quæ inter naturales parentes baptizati & inter baptizantem, nec non patrinum contrahitur, de qua modo in §. *præced.* diximus, & in *indirectam,* quæ extenditur ad *uxorem compatris,* etiamſi commater non fuiſſet, ante tamen a patrino in conjugio ſit cognita, ex ratione,

tione, quod maritus & uxor efficiantur una caro & per conſequens ad patris ſpiritualis uxorem prius ita cognitam transfundatur cognatio ſpiritualis, v. Linck. *ad tit. decret. de cognat. ſpirit.* §. *2.* Caſum huc pertinentem exhibet *c. 4. X. de cognat. ſpirit. Martinus Bertham duxit uxorem, Tebergam ſibi copulavit Lotharius, qui Berthæ & Martini filium de ſacro fonte ſuſcepit. Lothario vero & Bertha ſublatis de medio Martinus cum Teberga præfata contraxit. Nos autem conſult. t. duximus reſpondendum, quod cum ſecundum verbum Domini vir & mulier efficiantur per connubium una caro, liquidum eſt, Tebergam non poſſe matrimonialiter copulari Martino, qui* [vel potius: quia Lotharius] *compater ejus fuerat, cum quo una caro Teberga noſcitur extitiſſe.*

§. XV.

Quod *filios filiasve duorum compatrum* attinet, dubium olim fuit, utrum inter eos matrimonium ſubſiſtere poſſit? adfirmativa tamen certo modo obtinuit. Ita enim Alexander III. in *c. 1. X. de cognat. ſpirit. utrum autem filii, vel filiæ, ante vel poſt compaternitatem geniti, poſſint ad invicem copulari, canones ſecundum diverſorum locorum conſuetudines contrarii inveniuntur. Et licet primus canon exinde editus natos poſt compaternitatem ad invicem copulari prohibeat: alter tamen canon poſterius editus primum videtur corrigere: per quem ſtatuitur, ut ſive ante, ſive poſt compaternitatem geniti ſunt, ſimul posſint conjungi, excepta illa perſona duntaxat, per quam ad compaternitatem venitur. Unde nobis videtur, ut ſecundum poſteriorem canonem debeat obſervari: niſi conſuetudo eccleſiæ, quæ ſcandalum generet, aliter ſe habere noſcatur.*

§. XVI.

Effectus baptiſmi juridicus, uti jam ſupra §. XIII. innuimus, hic eſt, quod illæ perſonæ, inter quas cognatio ſpiritualis hoc modo contracta eſt, non poſſint inter ſe matrimonium inire, & ſi de facto illud inierint, iterum ſeparari debeant, *v. c. 6. X. de cognat. ſpiritual. mandamus, quatenus*

ſi

ſi conſtiterit H. mulierem prædicti viri filium de ſacro fonte levaſſe, antequam eam deſpondaſſet uxorem, vos inter eos divortium appellatione poſtpoſita celebretis. Ita enim in *c. 1. de cognat. ſpirit. in 6. nedum inter baptizatum & illum, qui eum ſuſcepit de baptiſmo, ac inter eundem baptizatum & ſuſcipientis filios & uxorem ante ſuſceptionem carnaliter cognitam ab eodem: imo etiam inter ſuſcipientem patremque baptizati & matrem cognationem ſpiritualem in baptiſmo contrahi jure conſtat: quæ cognatio & contrahendum matrimonium impedit & dirimit poſt contractum. Et eadem, quæ de ſuſcipiente ſunt dicta, ſunt etiam de baptizante cenſenda.* Plures textus huc pertinentes invenies apud Corvinum *jur. canon. l. 2. tit. 15. §. 42.*

§. XVII.

Quid ſi *ipſe pater filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperit*, quæritur, annon eo ipſo ab uxore ſua ſeparandus ſit? Ratio dubitandi pro adfirmativa eſt, quia pater filium proprium de ſacro fonte ſuſcipiens, ſimul fit cognatus ſpiritualis uxoris ſuæ, cognati autem non poſſunt vivere in matrimonio, quam adfirmativam quoque amplectitur Papa *Deusdedit* (per antiphraſin forte ſic dictus) in *c* *cauſ. 30. qu. 1.* v. Wiſſenbach. *contradict. jur. canon. §. 47.* E contrario autem Nicolaus Papa negativam & recte quidem tuetur in *c. 3. cauſ. 30. qu. 1.* quæ etiam obtinuit in c. 2. X *de cognat ſpirit.* ubi Papa Alexander III. *ſi vir*, inquit, *vel mulier ſcienter, vel ignoranter, filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperit, an propter hoc ſeparari debeant? Conſult. t. t. reſpondemus, quod quamvis generaliter ſit inſtitutum, ut debeant ſeparari, quidam tamen humanius ſentientes aliter ſtatuerunt. Ideoque nobis videtur, quod ſive ex ignorantia, ſive ex malitia id fecerint, non ſunt ab invicem ſeparandi, nec alter alteri debitum debet ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci: quia, ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur: ſi ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari, vel dolus.*

§. XIIX.

Ceterum cum in concilio Tridentino de reformatione

matrimonii ageretur, etiam de cognatione ſpirituali ex baptiſmo proveniente ſimul actum fuit. Rem ipſam verbis Petri Svavis Polani, vel, quod nomen verum eſt, Pauli Sarpii Veneti, *in hiſtor. concil. Trident. l. 8. p. 674.* referre lubet. Circa abuſus matrimonii, inquit ille, plerique Præſules id conſideratum volebant, caſus matrimonia impedientes, & contracta reſcindentes, tot eſſe, & tam frequentes, ut rara occurrant alicui ex iſtis defectibus non obnoxia. Et quod plurimum refert, quosdam ex ignorantia aut juris, aut facti, aut etiam oblivione contrahere, in iisque poſt cognita veritate innumerabiles perturbationes & ſcrupulos, litesque ac controverſias de prolis legitimatione & dotibus etiam naſci. Proferebatur nominatim, uti maximus abuſus, impedimentum cognationis in baptismo contractæ, quod nonnullis in locis invitabantur viri ad viginti, aut triginta, compatres, totidemque mulieres, commatres, quos inter omnes ex conſtitutione eccleſiaſtica ſpiritualis cognatio contrahitur: cumque ſæpenumero inter ſe non noſſent, poſt accidebat, ut matrimonio conjungerentur. Multis videbatur, hoc impedimentum omnio tollendum, non quod a principio non eſſet juſtis de cauſis inſtitutum, ſed quod ſublata penitus inſtitutionis cauſa effectum quoque ceſſare æquum eſſet. Nam eo tempore, quo ii, qui infantes ad baptiſmum ſiſtebant, eosque de ſacro fonte ſuſcipiebant, ſimul fidejuſſores erant, apud eccleſiam de ipſorum fide futura, adeoque ad eos inſtituendos obligati; conſentaneum fuiſſe, ut ad eos, cum licebat per ætatem, catechizandos ſæpe & familiariter cum perſona baptizata, parentibus ejus, aliisque etiam ſponſoribus verſarentur. Inde natam inter ipſos cognationem quandam, quæ non immerito in reverentia habita, & conjunctionem conjugalem prohibebat, perinde ſicut ceteræ omnes, quibus reverentia debetur, cognationes. Verum ſecutis temporibus poſtquam uſus, quidquid erat ſolidi, aboleviſſet, & ſuſceptor baptizatum vix unquam cerneret, neque vel minima de

ejus

Digitized by Google

ejus inſtitutione cura tangeretur, ceſſante reverentiæ cauſa cognationi huic nihil loci eſſe relictum.

§. XIX.

Sed vero hiſce non attentis cognatio illa ſpiritualis & impedimentum matrimonii exinde profluens a Patribus Tridentinis penitus ſublatum non fuit, ſed quadantenus ſaltem reſtrictum. Ita enim habetur in *Concil. Tridentin. ſeſſ.* XXIV. *de reformatione matrimonii c. 2. Unus tantum* [*ſive vir, ſive mulier*] *vel ad ſummum unus & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant:* inter quos & baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum *ſpiritualis cognatio contrahatur. Parochus eum, vel eos, quos electos ad hoc cognoverit, tantum ad ſuſcipiendum baptismum admittat: & in libro nomina eorum ſcribens doceat, quam cognationem contraxerint. Si qui alii baptizatum tetigerint, nulla inde eſto cognatio ſpiritualis, non obſtantibus conſtitutionibus contra decernentibus. Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur.* Tollitur ergo fraternitas illa, quæ inter baptizatum & filios naturales baptizantis atque patrinorum intercedebat olim, v. ſupra §. XIII. nec non indirecta compaternitas, quæ ad uxorem compatris extendebatur, quamvis hæc commater non fuiſſet, *v.* §. XIV. conf. Deſſelii *erotem. jur. can. 4. tit. 11. qu. 6.*

§. XX.

Juxta diſpoſitionem Concilii Tridentini itaque cognatio ſpiritualis ex baptiſmo orta adhuc in caſibus recenſitis pro impedimento matrimonii habetur apud eos, qui religioni Romano Catholicæ ſunt addicti, prout DD. ejusdem Religionis paſſim teſtantur. De Polonia in ſpecie Conor *in deſcript. regni Polon. part. 2. epiſt. 5. p. 684.* ita: Manns- und Weibsperſonen, welche mit einander zu Gevattern geſtanden, werden allemahl dadurch Vettern und Muhmen, ob ſie es gleich zuvor nicht geweſen, und können ſich dannenhero keines weges zuſammen

ſammen verheyrathen, es habe dann der Biſchoff, unter welchen ſie gehören, disfalls diſpenſation ertheilet.

§. XXI.

Evangelici hanc cognationem ſpiritualem pro mero invento humano, multis abſurditatibus involuto & conſcientiis gravi merito reputant, v. Gerhard. *de conjug. num. 364. ſeqq.* Ziegler. *ad Lancollot. l. 2. tit. 13. § 1. verb. ſpiritualis cognatio eſt.* Linck. *ad decret. tit. de cognat. ſpirit.* §. 5. Brunnem. *jur eccleſ. l. 2. c. 16.* §. 19. ibi: *prohibitio legalis in l. 26. C. de nupt. & cognatio ſpiritualis adhuc apud nos non obtinet, ſed neglecta illa ſolent nuptiæ concedi.* Miſerum ſcilicet argumentum eſt: ex generatione oritur cognatio, ergo etiam ex regeneratione, quæ fit per baptiſmum. A generatione phyſica ad generationem ſpiritualem non valet conſequentia. Et talia tamen non cohærentia argumenta etiam in aliis quæſtionibus interdum adhibent DD. Ita notum eſt, quod partus decimo menſe poſt mortem patris natus pro legitimo adhuc habeatur. Si quæris rationem? nonnulli dicunt, id honori decalogi tribuendum eſſe, ut tanto numero naſcamur, quanto renaſcimur, v. Gothofred. *ad Nov. 39.*

§. XXII.

Lutherus in libello vom ehelichen Leben mentem ſuam hac de re ita aperit: Sage mir, inquit, iſts nichts gröſſer, wann ich die Tauffe ſelbſt nehme, denn wenn ich dazu helfe? So müſte ich nun kein Chriſtenweib nehmen. Sintemahl alle getauffte Weiber aller getaufften Männer geiſtliche Schweſtern ſind, durch einerley Tauf, Sacrament, Glauben, Geiſt, HErrn, GOtt und ewiges Erbe. Hindert dich das nicht, daß die Magd eine Chriſtin iſt, ſo laß dich weniger hindern, daß du ſie getaufft, gelehret, oder aus der Tauff gehoben, quod & Legibus Svecorum ita obſervari ex Loccenii *Synopſ. jur. Svec. Diſſert. 3 qu. 12.* adducit Dietherrus *in addit. ad Beſold. theſaur. pract. voc.* Tauff.

§. XXIII.

Cognatio illa ſpiritualis intuitu baptizati & ejus, qui ipſum

ipſum de ſacro fonte ſuſcepit, etiam in jure Romano & quidem in *l. 26. C. de nupt.* fundata eſt, ubi Imp. Juſtinianus: *ea videlicet*, inquit, *perſona omnimodo ad nuptias venire prohibenda, quam aliquis, ſive alumna ſit, ſive non, a ſacroſancto ſuſcepit baptiſmate: cum nihil aliud ſic inducere poteſt paternam affectionem & juſtam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem Deo mediante animæ eorum copulatæ ſunt.* Putat hinc Brunnemannus *in Comm. ad d. l. 26.* diſpenſationem adhuc peti debere, & ad minimum hoc tutius eſſe, niſi contrarium de conſuetudine receptum fuerit. De tutiori nunc quidem non erimus ſolliciti, nam ſuperflua quilibet adhibere poteſt; quæſtio ſaltem eſt de juſto. Quemadmodum vero ipſum Brunnemannum *in jure eccleſiaſtico* intuitu quæſtionis de juſto aliam opinionem foviſſe jam ante §. XXI. propriis ipſius verbis adductis oſtendimus: ita nos Juſtiniani legem, quæ in Codice extat, ex eodem erroneo fundamento profluxiſſe exiſtimamus, ex quo canones & capitula epiſtolarum decretalium in jure canonico originem ſuam habuerunt. Baptiſmus enim, ſit venia verbo, tempore Juſtiniani jamdum maxime invaluerat. Quis vero præſumeret, ejus indolis leges ab Evangelicis receptas fuiſſe? & quisnam non facta receptione diſpenſationem petendam eſſe exiſtimaret? conf. Linck. *ad d. tit. de cognat. ſpirit. §. 5. in med.*

§. XXIV.

De *Presbytero non baptizato* in jure canonico diſponitur, quod ille ordinis characterem, uti vocant, non recipiat, ac proinde baptizari & iterum conſecrari debeat, vid. *c. 1. X. de presbyt. non baptizat.* Hoc ita, ſi deinde *certo* conſtat, eum non eſſe baptizatum. Sed quid, ſi ſaltem *dubitetur?* in hoc caſu Innocentius III. in *c. 3. X. d. t.* hunc in modum diſponit: *nos*, inquit, *circa latorem præſentium in hoc dubitabili caſu, quod tutius eſt, ſequentes, mandamus, quatenus ipſum per ſingulos ordines usque ad ſacerdotium promovere procures, & permittas, eum in ſacerdotio miniſtrare,*

quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum: nec male de ſacramento ſentitur, cum illud non religionis contemtus, ſed articulus neceſſitatis excludit.

§. XXV.

Alius caſus eſt, *ſi ab omnibus creditum fuerit, presbyterum baptizatum eſſe, & demum poſt mortem ejus conſtiterit, eum baptizatum non fuiſſe.* De hoc caſu Innocentius III. in *c. 2. X. d. t.* ad Epiſcopum Cremonenſem: *Apoſtolicam ſedem conſulere decreviſti, Inquiſit. t. taliter reſpondemus: Presbyterum, quem ſine unda baptiſmatis extremum diem clauſiſſe ſignificaſti, quia in ſanctæ matris eccleſiæ fide & Chriſti nominis confesſione perſeveraverit, ab originali peccato ſolutum & cæleſtis patriæ gaudium eſſe adeptum, aſſerimus incunctanter. Lege ſuper octavo libro Auguſtini de civitate Dei, ubi inter cetera legitur: Baptismus inviſibiliter miniſtratur, quem non contemtus religionis, ſed terminus necesſitatis exludit. Librum etiam B. Ambroſii de obitu Valentiniani, idem aſſerentis, revolve. Sopitis ergo quæſtionibus Doctorum Patrum ſententias teneas, & in eccleſia tua juges preces hoſtiasque Deo offerri jubeas pro presbyterio memorato,* quod ultimum ex nota Pontificiorum doctrina proficiſcitur.

§. XXVI.

Quæritur: *an patrini in actu baptiſmi eſſe queant, qui ipſi nondum ſunt baptizati?* Negat Barboſa *in tract. de offic. & poteſt. Parochi part. 2. c. 18. num. 27.* attendat quoque, inquit, parochus, an patrini deſignati, & qui hoc onus ſuſcepturi acceſſerunt, admitti poſſint, hoc eſt, an ſint baptizati. Si rationem adſertionis quæris, hanc reddit Barboſa, quia alias, ſi non baptizatus teneat, invalide facit, hoc eſt, nulla inde contrahitur cognatio, quia ſicut ad carnalem cognationem inter aliquos deſideratur proceſſio utriusque ab eodem ſtipite ſecundum carnalem propagationem, ita ad ſpiritualem exigitur proceſſio utriusque ab eodem ſtipite, nempe Chriſto, ſecundum ſpiritualem regenerationem mediante viſibili ſacramento baptiſmi.

Ita

Ita quoque in *c. 102. de conſecrat. diſt. 4. in baptiſmate, vel in chrismate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum, qui non eſt ipſe baptizatus, vel confirmatus.* Quamvis vero illa ratio, quam ex Barboſa modo adduximus, non ſit genuina, ſed figmentum cognationis ſpiritualis jam ſupra a nobis rejectum pro fundamento habeat; exiſtimo tamen, nec apud nos admiſſum iri talem, qui ipſe nondum baptizatus eſt. Patrini enim ſunt ſponſores, qui in eventum ſeſe obligant, quod infantes de ſacro fonte ſuſceptos in doctrina chriſtiana inſtituere velint, parentibus e vita immaturius evocatis, vid. Carpzov. *juriſpr. Conſiſt. l. 2. def. 271. num. 3.* talis vero ſponſor eſſe nequit, qui cœtui chriſtianorum per baptiſmum ipſe nondum eſt adſcriptus. In *ordinat. eccleſ. Ducat. Magdeburg. de A. 1685. cap. 3. §. 7.* præterea adhuc requiritur, ut patrinus SS. cœna jamdum uſus fuerit: **Darum keine Perſonen, ſo nicht den Catechiſmum gelernet, und zur Communion geweſen, zur Gevatterſchafft zu verſtatten.**

§. XXVII

Pergo ad alia. Quæritur: *utrum is, qui ante baptiſmum ſuſceptum mortuus, in eodem loco iisdemque ſolemnitatibus ſit ſepeliendus, in quo & quibus adhibitis alii jamdum baptizati ſepeliri ſolent?* Pontificii negant & hinc eos in peculiari aliquo in cœmeteriis angulo abſque cantionibus & ritibus chriſtianis ſepeliunt, vid. Stryck. *uſ modern. ff de religioſ. §. 10.* unde jam in Concilio Bracarenſi *1. can. 35.* ſtatutum, *catechumenis ſine redemtione baptismi defunctis nec oblationis ſanctæ commemorationem, nec pſallendi officium impendi debere.* Schilterus *inſtit. jur. canon. l. 2. tit. 2. §. 18.* hoc ex fine externo baptismi deducere vult, quem in adquiſitione juris civitatis in eccleſia chriſtiana & adunitione baptizati ad reliquum corpus eccleſiæ conſiſtere dicit; & ergo, qui ante baptismum decedit, ex ipſius hypotheſi pleno jure Chriſtianorum non fruitur. Verumenim vero genuina ratio ſine dubio hæc eſt, quod Pontificii parvulos ejusmodi vel abſolute condemnandos eſſe credant, vel alii eos nec beatos, nec

Digitized by Google

damnatos judicent, ſed peculiarem juxta infernum locum ipſis adſignent, quem limbum infantum non baptizatorum vocant in eoque defunctis neque bene, neque male eſſe exiſtimant, v. Dn. de Lyncker. *Diſp. de baptiſmo c. 8. §. 2.* du Fresne *in gloſſar. Voc. limbus*, ubi hunc locum ex Joh. de Janua adducit: *Limbus ponitur pro parte quadam inferni, quatuor enim ſunt loca inferni, ſcilicet infernus damnatorum, limbus puerorum, purgatorium & limbus patrum.* Caſum lepidi ingenii hic adponere lubet, quem ex Caramuelis *Theolog. præterintentionali num. 1400.* refert Joh. Adam Oſiander *in Theolog. caſual. part. 6. cap. 6. ſub quæſt. num. infantibus ἀβαπτίςοις conſcienter denegetur honeſta ſepultura? in fin.* Ita vero ille: in civitate N. D. N. Paſtor de uno loco cum quodam cive jure agebat. Volebat Paſtor, illum ad cœmeterium eccleſiæ: civis, ad hortum ſuum a multis annis pertinere. Interim, cum moreretur infans *baptismo dubio* intinctus: Paſtor cenſuit, *eum, qui dubio baptiſmo fuerat ablutus, debere in loco ſacro dubio ſepeliri.* Reſolutionem, addit, ſecutæ ſunt variæ hominum cenſuræ; cenſeo, (inquit Caramuel,) erraſſe, tametſi lepide, Paſtorem. Non enim unius privati autoritas debet privare parentes pueri ſolamine, & puerum ipſum favore, quem eccleſia tacite, vel expreſſe concedit.

§. XXVIII.

Quemadmodum vero Evangelici illam de limbo puerorum doctrinam non agnoſcunt, nec probant, cum non ille, qui nequivit, ſed qui contempſit baptizari, fructu baptismatis privetur, v. Cun. Dieteric. *inſtit. catechet de Baptiſmo, qu. 38. in exegeſ.* Ideo etiam concluſio exinde deducta corruere & infantibus ante ſuſceptum baptiſmum defunctis ſolemnis ſepultura neutiquam eſt deneganda, quo etiam ipſe collimabat Caramuel §. *præced. in f.* adductus. Hinc in Electoratu Saxoniæ *artic. general. XV.* hac de re ſequentem in modum diſponitur: Dieweil auch groſſe Ungleichheit mit Begräbnis der ungetaufften Kinder, oder, ſo in Mutterleib gelebt,

lebt, aber todt auf die Welt kommen, gehalten, daß etliche Pfarrer dieſelbigen nicht mit den Schülern, wie die getauffte Kinder zum Begräbniß beleiten, etliche auch nicht an die Orth begraben wollen, da andere Chriſten begraben ſeyn, dadurch den Chriſtlichen Eltern nicht allein groß Betrübnis gemacht, ſondern offtermahls die Mütter, als der ſchwächſte Werckzeug, in groſſe Anfechtung gerathen. Und aber der Chriſten Seligkeit nicht alſo an die heilige Tauffe gebunden, wann die Chriſtliche Mutter an den Kindern nichts verſäumt, noch an derſelbigen unzeitigen Tode ſchuldig iſt, ſie aber durch das Gebete dem Allmachtigen, vermöge ſeiner Verheiſſung, befohlen, da er geſagt, Ich bin dein GOtt und deines Saamens nach dir, daß ſie darum verdammt werden ſolten, wie dann ohne Zweiffel viele Kindlein im Alten Teſtament vor dem achten Tage geſtorben, die nicht beſchnitten, und gleichwohl ungezweiffelt ſelig worden ſind, der Urſach dann auch an ſolcher Kinder Seligkeit, die alſo durch das gläubige Gebete GOtt befohlen, nicht zu zweiffeln; So ſollen ſie hinfüro die Pfarrer und Kirchen-Diener ſolche Kinder nicht weniger, als die andern, mit Chriſtlichen Ceremonien nach iedes Orts Gebrauch zur Begräbnis beleiten und bey andern Chriſten zur Erden beſtättigen.

§. XXIX.

Eodem modo in *Ordinat. eccleſ. Ducat. Magdeb. c. 12. §. 6.* diſponitur: Es ſollen auch die zeitigen Kinder, ſo vor Empfahung der heil. Tauffe verſterben, ingleichen ſolche unzeitige, ſo im Mutterleibe gelebet, aber tod auf die Welt gekommen, mit Chriſtlichen Ceremonien, jedoch, daß der an etlichen Orthen am Tage des Abſterbens erwachſener Perſonen gewöhnliche Leichenzug nachbleibe, begraben werden, es wolte dann die Magdeburgiſche Regierung und Conſiſtorium disfalls diſpenſiren. Ita porro in der Niederſächſiſchen Kirchen-Ordnung, quam refert illuſtris Lynckerus *cit. Diſſ. de baptiſmo c. 8. §. 2.* Endlich wollen wir auch uns mit unſern Chriſtlichen Begräbniſſen von den Papiſten hier abſondern, daß wir mit nichten wollen zulaſſen, daß die ungetauffte Kinderlein, ſo etwa in Mutterleibe gelebet und tod auf die Welt gebohren, mit der Eltern und fürnemlich

der Mutter ſchmertzlicher Traurigkeit und Anfechtungen nicht ſollen Chriſtlich begraben werden: Denn was von ſolchen Kindern nach GOttes Wort zu halten und zu glauben iſt, haben wir zuvor an ſeinem Orth gemeldet. Darum ſollen ſie mit allen Chriſtlichen Ceremonien, Geläut und Geſange zur Erden beſtättiget werden.

§. XXX.

Quoniam itaque, prout vidimus, principia Evangelicorum & Romano-Catholicorum in hac materia plane diverſa ſunt, hinc nonnumquam in illis locis præcipue, ubi religio mixta eſt, inter utrique religioni addictos occaſione diverſorum eorum principiorum diverſæ etiam graveſque lites oriri ſolent. Recenſebimus eam, quæ A. 1696. in Abbatia Campidonenſi univerſitatibus Reformatis zu Grönebach, Herbishoffen und Theinſelberg cum Romano-Catholicis interceſſit. Factum ipſum optime ex Memoriali, quod Legatis Evangelicis Ratisbonæ ſubſiſtentibus dictæ univerſitates obtulerunt eorumque interceſſionem efflagitarunt, perſpici poteſt. Exhibet illud cum aliis ſcriptis ſic nominatus Antonius Faber in der Staats-Cantzley *part. 5. c. 1. faſcic. 1.* & nos ex eodem ſequentia ſcopo noſtro inſervientia excerpemus. Ita vero rem narrant: So viel ſonſt dieſe Sepultur-Sache an und vor ſich ſelbſt betrifft, ſo iſt es an deme, daß hochgedachte Ihre Hochfl. Gnaden des Stiffts Kempten, unſer gnädigſter Landes-Fürſt und Herr, als in Anno 1692. die Herrſchafften Rothenſtein, Grönebach und Herbishoffen ſammt derſelben appertinentien an Dero Hochfürſtlich Stifft von dem Hochgräfflichen Hauſe Pappenheim, ſo viel daſſelbe daran beſeſſen, erwachſen, ſich expreſſis verbis laut des gefertigten Receſſes de dato Kempten den 18. Jun. Anno 1692. dahin obligirt und verbunden, daß weilen bey denen abgetrettenen Herrſchafften und Unterthanen verſchiedene Religionen, theils die Catholiſche, theils die Reformirte eingeführet, inſonderheit aber zu Grönebach, Herbishoffen und Theinſelberg, Reformirte Kirchen ſeyn; als ſolle beydes quoad exercitium Religionis denen ge-

ſammten

ſammten und in ieder Pfarren gehörigen Unterthanen, als auch denen Kirchen und Reformirten Predigern zukommende beneficia und Einkünffte, nach Inhalt des Oßnabrückiſchen Friedens-Schluſſes, auch der zu Lindau und Ravensburg gehaltener reſtitutions- und executions-Commiſſionen genau in acht genommen, und wieder dieſelbe weder directe, noch indirecte gehandelt werden, und ſeind wir in Anſehung deſſen in der gäntzlichen Zuverſicht geſtanden, daß es ſolchergeſtalt bey dem hergebrachten Gebrauch juris ſepeliendi ſo wol der Reformirt verſtorbenen, als **ungetauffter Kinder** ſein ungekräncktes Verbleiben haben ſolte, zumahln bekandt, daß das jus ſepulturæ ein annexum des freyen Religions Exercitii iſt, welches die Gemeinde zu Herbishoffen ſamt dem Pfarrer vi inſtrumenti Pacis Weſtphalicæ unſtreitig erlanget, mithin eine nothwendige Folge iſt, daß circa ſepulturam unſern Pfarrern die freye diſpoſition zukomme, und wird unnöthig zu erweiſen ſeyn, ob eben ein Todes-verblichener extra-Parochianus A. 1624. nacher Herbishoffen zur Begräbnis getragen worden, ſondern es iſt genug, daß wir dociren können, daß per allegatum inſtrumentum pacis und die darauf erfolgte Lindauiſche und Ravenſpurgiſche Signaturen das exercitium Religionis uns und unſern Pfarrern competirt und zuſtehet, wie dann auch ohne einige Widerred wir allemahl die extraparochianos haben begraben, **auch vor mehr als 40. Jahren, unſere todte, getauffte und ungetauffte Kinder aus dem Grönenbachiſchen** *diſtrict* **nacher Herbishoffen tragen und auf ſelbigen Kirchhoff zur Erden beſtatten dörffen**, deſſen wir Grönenbacher, uns doch gern enthalten und lieber die in dem Grönenbachiſchen diſtrict Verſtorbene, ſie ſein Getauffte, oder durch **unfröliche Geburth** vom Todt übereilte auf unſern eigenen Kirchhoff begraben laſſen möchten, wann nur von dem Stifft Augſpurg die billige Erlaubniß zu erhalten wäre und uns hiezu ein eigenes Orth in dem uns auf dem Grönebachiſchen Kirchhoff zukommenden und ohnedem ſeparirten Antheil eingeräumet würde. Daß die in dem Grönebachiſchen **unfrölich gebohrne Kinder** nacher Herbishofen bishero getragen worden, iſt allein amore

pacis

pacis & tranquillitatis geſchehen, jedoch mit zierlichſter proteſtation und reſervatione de non præjudicando, indem die Catholiſche Gemeinde uns zugemuthet, auf unſern gemeinſamlich habenden Kirchhof zu Grönenbach und Zell die ungetauffte Kinder gleich denen ihrigen in das abſonderlich dazu gewidmete zu legen, welches aber wieder unſere Gewiſſens-Freyheit ſtreitet, indem unſere Religion mit ſich bringet, daß denen ungetaufften Kindern um ihrer gläubigen Eltern willen, wann kein contemtus ſacri baptiſmi mit einlauffet, die Seligkeit nicht abzuſprechen und wir dahero ſchuldig ſeyn, ſie gemeiner Chriſten-Sepultur zu würdigen, welches ſo wenig, als unſere Glaubens-Bekäntniß und übrige Religions-Exercitium ſelbſten verwehret werden kan, geſtalten wir es auch à tempore Reformationis ruhiglich exerciret, und uns der wenigſte Eintrag daran nicht geſchehen iſt, bis in anno 1659. von denen Catholiſchen ein murmuriren gehöret worden, daß die Ungetauffte gleich denen Getaufften parem ſepulturam haben ſollen, weshalben endl. beyderſeits damalige Hoch-Gräfliche Herrſchafften Pappenheim und Fugger in anno 1671 den 6ten Mart. den Entſcheid gemacht, krafft deſſen uns Reformirten zu Grönenbach und Zell unſer Sepultur-Recht unverkümmert ſo wol ratione loci, als ſubjecti ſepeliendi, freygelaſſen worden, und haben wir von ſelbiger Zeit an nicht nur die getauffte Verſtorbene, ſondern auch die von dem Tod vor Empfang der H. Taufe übereilte Kinder auf beyder gemeinſamer Kirchhöfen zu Grönenbach und Zell in die angenommene Begräbnis-ſtätt geleget, ſo daß auf dem Kirchhof zu Grönenbach 26. zu Zell aber 5, und alſo zuſammen 31. ungetauffte Kinder altem Gebrauch und Gerechtſamen nach begraben worden. Wann dann nun uns, denen Grönenbachern dieſes Sepultur-Recht auf denen gemeinſamen Kirchhöfen zu Grönebach und Zell vi inſtrumenti pacis Weſtphalicæ, der Executions Signaturen und abſonderlichen Vergleichs competiret, wie viel weniger kan ſolches uns Herbishofern auf unſerm unſtreitig uns allein zuſtehenden Kirchhof zu Herbishoffen *difficultiret* und denen Reformirten Sterbenden entzogen werden, da bekandt, daß

daß ſonſt in dem geſamten Schwäbiſchen Creyß kein pur Reformirter Kirchhoff, als zu Herbishoffen zu finden. Wir erkennen zwar in alle Weg Se. Hochfürſtl. Gnaden des Stifts Kempten pro plenario domino und einigen Landes-Fürſten der Herrſchaften Grönebach und Herbishofen, seynd auch im Gewiſſen verbunden, allen Deroſelben circa politica ergehenden Befehlen und Beordnungen nachzuſeben, wie dann auch zu Bezeuguug unſers unterthänigſten Reſpects wir nicht nur den hiebevor beobachteten Julianiſchen Calender deſerirt, und die neue Zeit angenommen, ſondern auch die unter gewiſſer Straf von uns erforderte Unterlaſſung aller Feld- und lauter Hauß Arbeit an Catholiſchen Feyertagen, obgleich nicht ohne proteſtation und reſervation der habenden jurium bis dahin connivirt, circa religionem aber, und was unſerem Kirchen-Weſen angehörig, hoffen wir die fructus Pacis Weſtphalicæ neben andern Evangeliſchen Ständen mit zu genieſſen, und ſind wir berichtet, daß in demſelben art. 5. §. 31. & 32. dieſe valde emphatica von denen höchſt- und hohen Herren Paciſcentibus in vim jurisjurandi höchſt verbindliche abgehandelte ſanctio enthalten ſeyn ſolle, quod Statuum Catholicorum Landſaſſii, Vaſalli & ſubditi cujuscunque generis, qui ſive publicum, ſive privatum, Auguſtanæ confeſſionis exercitium Ao. 1624. quacunque anni parte, ſive certo pacto, aut privilegio, ſive longo uſu, ſive ſola denique obſervantia dicti anni habuerunt, id etiam in poſterum retinere debeant NB. una cum annexis, quatenus illa dicto anno exercuerunt, aut exercita fuiſſe probare poterunt. Welches dann klar giebet, daß circa religionem alles und iedes durchaus in dem Stand, wie es Ao. 1624. und zwar in quacunque ejus parte geweſen, absque ulla mutatione, vel turbatione gelaſſen werden müſſe; nach welcher Conſtitution wir dann in alle Wege auch bey dem jure ſepeliendi utpote annexo cultus religionis werden zulaſſen und auf denen Kirchhöfen zu Grönenbach und Herbishofen die ungetauffte Kinder, wie vor Alters her, alſo hinfürter inter baptizatos & adultos zu begraben berechtiget ſeyn, oder uns wenigſtens nicht verwehret werden können, wann ie zu Grönebach ſolchen mit dem frühzeitigen Tode

D übereile-

übereilten Kindern die ehrliche ſepultur auf dem gemeinſamen Kirchhof ein ſcandalum geben ſolte, ſolche auf den Reformirten Kirchhof zu Herbishoffen tragen zu laſſen, wie es dann auch gleiche Bewandnis haben wird, mit anderen verſtorbenen auswärtigen Reformirten, welchen die Beerdigung auf dem Reformirten Kirchhoff zu Herbishoffen hiebevor niemalen difficultiret worden iſt, und werden es die præjudicia hinc inde geben, daß in ejusmodi caſu, da eines Herrn Unterthanen beyderley Religionen anhängig ſeyn, ihrer aller gemeinſamer Landes-Fürſt und Herr zu des einen Theils Beſchwehrung quoad omnia illa, quæ quacunque ratione ad cultum divinum ejusdemque exercitium ſpectare poſſunt, einige Neuerung nicht verhängen möge, ſondern daß er beyde Theile in immutato ſæpe dicti anni ſtatu verbleiben zu laſſen, vi iſtius pragmaticæ obligirt ſey, welches auch intuitu Sr. Hochfürſtl. Graden der oballegirte in anno 1692. ſub gvarantia der Evangeliſchen Churfürſten, Fürſten und Stände expedirte Receſs aufs kräftigſte diſponiret. Es iſt zwar von dem Hochfürſtl. Grönebachiſchen Pfleg-Amt ohnlängſt der Vorſchlag geſchehen, ſolche Kinder entweder auf den Grönebachiſchen Kirchhoff in den abſonderlich bey den Catholiſchen dazu ſeparirten Ort, oder in die Reformirte Kirch, oder in das nächſt dabey gelegene zu begraben, ••• wozu wir uns auch ohnlängſt iedoch cum proteſtatione accommodiren und ein ſolches ungetauffites Kind in die Kirche zu Grönenbach legen müſſen; Alldieweiln uns iedoch auf viele Weiſe bedencklich fallen will, auſſer den Kirchhöfen die unfrölich gebohrne Kinder zu begraben, und aus unſerer Kirch einen Gottes-Acker zu machen, oder more Catholicorum ſolchen die ehrliche Beerdigung zu entziehen, zumalen es auch beſorglich eine conſequentz geben dürfte, wenn wir von unſerm jure acquiſito ſolten abweichen müſſen, in dem übrigen aber gantz kein Zweiffel waltet, Ihro Hochfürſtl. Gnaden zu Kempten werden hierin eines Evangeliſchen Corporis interceſſion der Gebühr nach conſideriren, und in Anſehung derſelben uns deſto eher bey dem hergebrachten und per inſtrumentum pacis Weſtphalicæ, Creyß-Executiones & ex uſu continuo ſtabilir-

ſtabilirten jure ſepeliendi in allem unperturbirt verbleiben, auch die unſerm Pfarrer zu Herbishoffen darum dictirte Straff, weilen er vergönnet, daß neulich desgleichen zu Grönebach ungetaufft verſtorbenes Kind auf den Kirchhoff zu Herbishoffen beerdiget werden möge, aufheben zu laſſen. Concludunt nunc ſupplicantes: So haben wir keinen andern Weg vor uns geſehen, als ad exemplum anderer bedrängten proteſtirenden Ständen zu . . . unſer refugium zu nehmen, mit gehorſamſt unterthäniger Bitt, dieſelbe ſich gnädig und hochgeneigt unſer hierunter anzunehmen, und auf Mittel und Wege bedacht zu ſeyn, geruhen wollen, wie Sr. Hochfürſtl. Gnaden des Stiffts Kempten dieſe uns zumuthende Sepultur-Neuerung auf das glimpflichſte benommen, der Pfarrer zu Herbishoffen der Beſtraffung enthebt, hinfüro unſere Pfarrer mit dergleichen pœnal-Bedrohungen verſchonet, und wir bey unſerm Religions-Exercitio und was demſelben anhängig, ohneingeſchrenckt erhalten werden mögen, &c.

§.XXXI.

Non ægre, ut ſperamus, feret benevolus lector, quod in excerpendo memoriali ita prolixi fuerimus, hoc enim ideo neceſſarium fuit, ut cauſa querelarum eo clarius pateret atque ſimul conſtaret, quam rigidi adhuc hodie ſint multi ex Romano-Catholicis in propugnando dogmate de ſolemni ſepultura liberis ante ſuſceptum baptiſmum decedentibus non concedenda. Sane, ſi parvulis ſuis peculiarem locum ad ſepulturam adſignant, imo, ſi ſolemnitates quoque alias conſvetas ipſis plane denegant: ex noſtratibus ipſis nemo litem movebit. Inſiſtant moribus receptis, ſi rationibus noſtris contrarium demonſtrantibus iisque ſatis evidentibus aures præbere nolunt: de eo ſaltem nunc quæſtio eſt: utrum ab Evangelicis etiam exigere jure poſſint, ut hi mores eorum ſequantur?

§. XXXII.

Nos negativam tuemur. Primo enim ex jure divino demonſtrari nequit, parvulis ante ſuſceptum baptiſmum decedentibus honeſtam ſepulturam eſſe denegandam. Nec

magis probari poteſt, ejusmodi parvulos a ſede beatorum excluſos iisque certum aliquem limbum adſignatum eſſe. Atqui, dicunt, *Geneſ. 17. verſ. 14.* extat, wo ein Knäblein nicht wird beſchnitten an der Vorhaut ſeines Fleiſches, des Seele ſoll ausgerottet werden von ſeinem Volck, darum, daß es meinen Bund unterlaſſen hat: item Johann. 3. verſ. 3. ubi Salvator ad Nicodemum: Warlich, warlich, ich ſage dir, es ſey dann, daß iemand von neuen gebohren werde, kan er das Reich Gottes nicht ſehen. Sed facilis eſt reſponſio, quod uterque locus de contemptu circumciſionis & baptiſmi loquatur, neutiquam vero ad eum caſum extendi debeat, quando quis per merum caſum fortuitum baptiſmo privatur, v. Dieteric. *inſtit. catechet. de baptiſmo qu. 38. in exegeſ.* unde admodum multi ex ipſis quoque Pontificiis doctrinam illam repudiarunt, qua mediante parvuli ante ſuſceptum baptiſmum demortui a participatione regni cœlorum excluduntur, prout fuſe probat Gerhard. *confeſſ. cathol. l. 2. part. 2. art. 12. c. 1.*

§. XXXIII.

Quod ſi ergo ejusmodi parvuli a regno Dei non ſunt excluſi, quare Pontificii eos a ſolemni ſepultura excludunt? & quare Evangelicos adſtringere volunt, ut doctrinam eorum vero fundamento deſtitutam ſequantur? Eo magis hoc eſt mirandum, cum *in Inſtrum. pac. Weſtphal. art. 5. §. 31.* ſatis clare diſpoſitum ſit, *quod Statuum Catholicorum Landſaſſii, Vaſalli & ſubditi cujuscunque generis, qui ſive publicum, ſive privatum Auguſtanæ confeſſionis exercitium anno 1624 quacunque anni parte, ſive certo pacto, aut privilegio, ſive longo uſu, ſive ſola denique obſervantia dicti anni habuerunt, illud etiam in poſterum retinere debeant*, una cum annexis, *quatenus illa dicto anno exercuerunt. Hujusmodi annexa haberi inſtitutionem conſiſtoriorum, miniſteriorum, tam ſcholaſticorum, quam eccleſiaſticorum, jus patronatus, aliaque ſimilia jura, nec minus manere eos debere in poſſeſſione omnium dicto tempore in poteſtate eorundem conſtitutorum templorum, fundationum,*

monaſte-

Digitized by Google

monaſteriorum, hoſpitalium, cum omnibus pertinentiis, reditibus & acceſſionibus. *Et hæc omnia ſemper & ubique obſervari debere eousque, donec de Religione Chriſtiana vel univerſaliter, vel inter ſtatus immediatos eorumque ſubditos mutuo conſenſu aliter fuerit conventum, nec quenquam a quocunque ulla ratione, aut via turbari debere.*

§. XXXIV.

Quid clarius hac diſpoſitione Legis fundamentalis eſſe poteſt? Manere debent Statuum Catholicorum ſubditi cujuscunque generis in poſeſſione *templorum cum omnibus pertinentiis;* atqui cœmeterium extra omne dubium ad pertinentias templorum pertinet, ergo nec in poſſeſſione cœmeteriorum Statuum Catholicorum ſubditi a quocunque ulla ratione, aut via turbari debent. Quod ſi ergo ejusmodi ſubditi nullo modo in exercitio poſſeſſionis ſuæ ſunt turbandi: certe etiam liberos ante ſuſceptum baptiſmum mortuos in cœmeteriis ſuis ſepelire ipſis fas erit, principia enim Religionis Evangelicæ hoc volunt, ejusmodi parvulis nec gratiam divinam, nec honeſtam ſepulturam eſſe denegandam. Quicunque ergo Evangelicis injungit, ne parvulos honeſte ſepeliant: ille vim conſcientiis infert & ab Evangelicis prætendit, ut credant, parvulos ante ſuſceptum baptiſmum morte præventos gratiæ divinæ participes non eſſe.

§. XXXV.

Sed quid ſi quis ab evangelicis ſubditis exigat, ut probare debeant, *ſe A. 1624. parvulos ante ſuſceptum baptiſmum mortuos in cœmeteriis ſuis ſepeliviſſe;* Videri poterat, Evangelicos ad hanc probationem ſuſcipiendam obligatos eſſe, quoniam in *cit. Inſtrum. Pac. art. 5. §. 31.* dicitur, retinere debere annexa Evangelicos, *quatenus illa dicto anno exercuerunt, aut exercita fuiſſe probare poterunt.* Sed vero, uti contextus oſtendit, in illis verbis ſolum ſermo eſt de jure inſtituendi Conſiſtoria, miniſteria ſcholaſtica & eccleſiaſtica, de jure patronatus & ſimilibus, quæ cum exercitio Religionis non ſemper neceſſario ſunt connexa. Poſtea vero, u-

 bi

bi de poſſeſſione templorum & pertinentiarum atque acceſſionum agitur, talis probatio intuitu harum pertinentiarum atque acceſſionum non requiritur, quoniam qui religionis exercitium habet & in poſſeſſione templi conſtitutus eſt, iis ſemper jure acceſſionis etiam in poſſeſſione cœmeterii conſtitutus eſt & per conſequens jus ſepulturæ juxta principia religionis ſuæ ipſi denegari nequit. Acceſſorium hic naturam ſui principalis ſequitur. Et poſito, quod integro anno 1624 nullus parvulus ante ſuſceptum baptiſmum mortuus fuiſſet & per conſequens etiam ſepeliri non potuiſſet; eo ipſo tamen juri Evangelicorum nihil decederet, ſi enim quis jus ſuum exercere vult, termini habiles ſupponi debent, adfuiſſe ſcilicet occaſionem, qua jus exerceri potuiſſet, qua occaſione deficiente ipſum) jus nihilominus ſalvum ac integrum manet. Sufficit, Evangelicos in poſſeſſione cœmeterii permanſiſſe.

§. XXXVI.

At vero objiciebatur: Catholici eo caſu, quando cœmeterium cum Evangelicis commune habent, quale quid deprehendebatur Grönebachi, v. §. XXX. ſcandalizantur, quando Evangelici infantes ante ſuſceptum baptiſmum mortuos in tali cœmeterio ſepeliunt; reſpondeo, cum jure divino ſepultura honeſta ejusmodi infantibus non ſit denegata, v. §. XXXII. hinc non adeſt ſcandalum ab Evangelicis datum, ſed à Romano-Catholicis male acceptum. Et cur Romano-Catholici non permittunt, quando Evangelici etiam hujus accepti ſcandali vitandi cauſſa parvulos in alio cœmeterio, cujus communionem non habent illi, ſepelire volunt? quare indignantur, quando Evangelici in proprio cœmeterio, v. g. univerſitas zu Herbishoffen, proprios liberos non baptizatos poſt mortem terræ mandare conſtituerunt? Hic certe nullum ſcandalum adduci poteſt.

§. XXXVII.

Puto etiam, niſi ſpeciales conventiones extent, Evangelicis Catholicorum ſubditis vitio verti non poſſe, ſi extraneis concedant, ut hi infantes ſuos nondum baptizatos

in

Digitized by Google

in illorum cœmeteriis ſepeliant, ſi morte præventi fuerint. Quilibet enim rerum ſuarum moderator & arbiter eſt, & quamvis cœmeteria ad res extra commercium exiſtentes referri ſoleant; hoc tamen eo ſaltem tendit, ut cœmeteria ad uſus profanos adplicari non debeant, quod hoc caſu juxta ante deducta neutiquam fit. Et ſi quis iterum ſcandalum aliquod crepare velit: illi iterum reſpondebimus, ſcandalum non eſſe datum, ſed acceptum. Sane exceptio: Tua non intereſt, obſtat tertio, qui mihi intuitu uſus rerum mearum leges præſcribere vult.

§. XXXVIII.

Hactenus de effectu baptiſmi quoad ſepulturam. Videamus jam, *utrum delinquenti infideli pœna promerita ſit remittenda, propterea, quod fidem Chriſtianam amplexus fuerit & baptiſmum quoque actu ſuſceperit?* adfirmant hoc nonnulli & pro adfirmativa ſua tuenda diverſos textus juris canonici adducunt. Primus eſt in *c. 1. diſtinct. 6.* in quo tamen nihil invenio, quod huc trahi poſſet, niſi forſan verba illa: *ſed lavandus eſt aqua, ut culpam cogitationis lachrymis abluat.* Alter in *c. 2. de conſecrat. diſt. 4.* ibi: *per baptiſmum Chriſti id agitur, ut vacuetur caro peccati.* Et deinde: *nam nec gradibus hoc præſtatur in baptiſmo, niſi forte miraculo ineffabili omnipotentiſſimi creatoris, ut lex peccati, quæ ineſt in membris, repugnans legi mentis, penitus extinguatur, & non ſit: ſed, ut quidquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum fuerit, cum eidem concupiſcentiæ ſubjecta mente ſerviret, totum aboleatur, & velut factum non fuerit, habeatur.* Tertius in *c. 136. de conſecrat. diſt. 4. regenerante autem carne tantummodo contrahitur peccatum originale: regenerante autem ſpiritu non ſolum originalium, ſed etiam voluntariorum fit remiſſio peccatorum.* Quartus in *c. 8. X. de divort. cum per ſacramentum baptiſmi non ſolvantur conjugia, ſed crimina dimittantur.* Quinto adducitur etiam *c. 6. de pœnitent. diſt. 7.* ibi: *pœnitentia enim, ſi in extremo hiatu vitæ advenerit, ſanat & liberat in ablutione baptiſmi, ita quod nec purgatorium*

gatorium ſentiunt, qui in fine baptizantur: ſed ipſi ditati bonis ſanctæ matris eccleſiæ ſunt recepturi multiplex bonum in vera beatitudine.

§. XXXIX.

Autores hanc ſententiam defendentes Imolam, Felinum, Ferrarium aliosque adducit Andreas Tiraquellus *de pœn. temp. vel remittend. cauſ. 25. num. 2.* & in ſpecie ex Thoma Ferrario *caut. 24. quæritur per ſcribentes verſ. ſi vis ipſam mortem* recenſet, ita fuiſſe obſervatum & obtentum Paduæ in cauſſa cujusdam Judæi, qui commiſſo quodam enormi delicto Chriſtianum ſe effecerat, convocatisque illuſtrioribus totius Univerſitatis doctoribus, cauſaque per utramque partem diſputata, eum tandem fuiſſe liberatum. Ita Paduæ fuit obſervatum.

§. XL.

Nos tamen eo reſpiciendum eſſe arbitramur, non quid Paduæ fiat, ſed qui fieri debeat. Et hinc etiam ipſe Tiraquellus adlatam ſententiam non adprobat, ſed ita mentem ſuam exponit *num. 3.* Contrarium, inquit, videlicet, hoc ſolum procedere in foro pœnitentiali, non etiam judiciali, tenent plerique omnes, his potiſſimum rationibus: Baptismus enim reſpicit animam, cum per ſacramentum quis efficiatur membrum Chriſti, *c. quia paſſus de pœnit. diſt. 2.* Et ideo abſolutio, quam eccleſia baptizato tribuit, intelligitur quoad animam, quia talis remiſſio videtur habere cauſam limitatam reſpectu animæ. Et quia eccleſia non defendit juſte condemnatos pro furtis & delictis, *c. ult. caus. 24. qu. ult.* Præterea delinquentes plerumque quempiam privatum lædunt, ſemper vero rempublicam, *l. licitatio §. quod illicite. ff. de publ. & vect.* in quorum præjudicium non debet videri ab eccleſia conceſſum remiſſionis beneficium, *l. 2. §. ſi quis à principe ff. ne quid in loc. publ. &c. ſuper eo. de offic. deleg. &c. 2. ex tuarum de autor. & uſ. pall.* & hoc præſertim dicendum in eccleſia, quæ eſt cultrix juſtitiæ, *c. 1. tit. de alienat. feud.* & facit, quod in evangelio legitur: reddite,

reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Facile poſſet, ita pergit Tiraquellus *num. 5.* quisque Judæus, aut alius ethnicus, pœnam criminis vitare ad baptiſmum etiam in fraudem confugiens, & ita præſtaretur occaſio delinquendi, cum eſſet via paratiſſima ad pœnam evitandam, quod non eſt dicendum, *l. conveniri ff. de pact. dotal. l. ſi maritus §. legis verſ. ceterum ibi: evitandi criminis ſine cauſa ff. ad L. Jul. de adult.* Et hoc quoque, addit *num. 7.* e Theologis ſentit Alex. Ales *in 4. parte ſuæ ſummæ qu. 20. membr. 1. art. 2.* cum dicit, quod in baptiſmo omnis culpa deletur, & reſtituitur homo in priſtinam innocentiam, quantum ad animam, quaſi ſecus ſit de corpore: & idem quoque iisdem omnino verbis dicit divus Bonaventura *in d. 4. ſententiarum diſtinct. 2. art. 1. q. item 1.* Sed & hoc voluiſſe videtur divus Thomas *in 3. parte ſummæ q. 68. art. 5. in f.* dum ſcribit, quod baptizati debent ſatis facere proximis de injuriis ante baptiſmum illatis. Sed & expreſſius hanc ſententiam ſecutus eſt *q. ſequ. art. 2. in f.* dicit enim, quod licet homicida liberetur a reatu pœnæ per baptiſmum quoad Deum, remanet tamen obligatus quoad homines, quos juſtum eſt ædificari de pœna, ſicut ſcandaliſati de culpa, pie tamen talibus princeps pœnam indulgeret, quem (Thomam) ſequitur Aſteſſanus *l. 4. ſuæ ſummæ tit. item 4. art. 1. col. ult. verſ. utrum. judex ſecularis*, & in eadem opinione fuit Anton. Flo. *in 1. part. 3. part. princ. ſummæ tit. 14. c. 13. poſt princ.* dicens, quod omnis pœna debita in Dei judicio remittitur in baptiſmo, ſed non debita in judicio hominum, quia non tollit pœnam mortis debitam pro maleficio commiſſo.

§. XLI.

Imo nec Paduæ ſemper ita obſervatur, ut baptiſmi ſuſceptio pœnam alias promeritam prorſus tollat, ad quam tamen obſervantiam Thomas Ferrarius, vel, ut alii eum citant, Ferratus, ſupra §. XXXIX. adductus provocabat. Audiamus, quæ in contrarium adfert idem Tiraquellus *loc.*

 cit.

Digitized by Google

cit. num. 6. Et ita, inquit, in hanc partem, quod nempe baptiſmus a pœna non liberet in foro judiciali, concludit gloſſ. *in c. admonere in verbo : pœnitentia 32. qu. 2.* Panormitanus *in c. gaudemus. per. text. ibi in f. de divort.* - - Phil. Dec. *in c. quæ in eccleſiarum col. 8. verſic. 3. & ult. de conſtit.* ubi & in hanc partem dicit ſe conſuliſſe Paduæ, cum ex facto hujusmodi ſpecies incidiſſet, & ſecundum ipſius conſilium fuiſſe judicatum per Thomam Macomum, poteſtatem Paduanum. Ejus autem in eam rem conſilium eſt *130. proponitur, quod Judæus*, ubi hanc partem multis rationibus & argumentis longe lateque confirmat.

§. XLII.

Proſper Farinacius *in prax & theor. crimin. part. 3. de pœn. temperand. quæſt. 98. cauſ. 16. num. 148 & 155.* priorem ſententiam in §. XXXIIX & XXXIX. a nobis ſupra relatam defendit, quod nempe baptiſmus ſuſceptus pœnæ remiſſionem, vel ſaltem mitigationem operari debeat. Regulam, cui hanc ſuam opinionem incluſit, *num. 149. 150. 151. & 152.* quatuor modis ampliat: (1) eam multo magis procedere, quando Judæus effectus chriſtianus fecerit ſpecialem pœnitentiam de delictis ab eo commiſſis ante baptiſmum, (eſt ſtilus Farinacii.) Tunc enim ipſum non poſſe amplius puniri. (2) Ut multo magis procedat in foro poli & conſcientiæ, in quo ſine dubio Judæus effectus Chriſtianus ab omnibus præteritis criminibus & peccatis abſolutus cenſetur. (3) Ut Judæus effectus chriſtianus nec etiam efficiatur irregularis ex homicidio ante baptiſmum commiſſo *c. ſi quis viduam diſt. 50.* Et eſt ratio, addit, quia iſto caſu irregulariter incurritur cum peccato, nempe cum homicidio, & propterea ſicut per baptiſmum tollitur peccatum, ita etiam tollitur irregularitas, ex qua ratione ſecus videtur dicendum, quando irregularitas incurritur ſine peccato, prout in judice eccleſiaſtico ingerente ſe in pœna ſanguinis. (4) Ut multo magis & ſine dubio Judæo effecto chriſtiano ſit minuenda pœna pro delicto per eum commiſſo ante aſſumptum baptiſmum.

§. XLIII.

Digitized by Google

§. XLIII.

Limitat vero eam duobus modis *num. 153. & 156.* (1) in Judæo effecto Chriſtiano in fraudem, & ut pœnam commiſſi delicti evitaret, eum enim non obſtante baptiſmo de delictis ante commiſſis accuſari & puniri poſſe dicit. Quod autem in fraudem Judæus effectus fuerit & non ex bono corde, hoc ex ſequentibus conjecturis probari putat: (a) ſi non multo tempore poſt furtum commiſſum baptizatus fuit, (b) ſi fuit baptizatus ex abrupto, non ſervato termino 40. dierum, de quo in *c. ne quod abſit de conſecrat. diſtinct. 4.* (c) Si poſt delictum aufugit & poſtea baptizatus reverſus & captus dixerit, ſe non dubitare de pœna, quia fuit baptizatus. Limitat adſertionem (2) quoad damna & intereſſe. Judæus enim effectus Chriſtianus adhuc tenetur reſtituere male ablata & omne id, ad quod civiliter ex furto, ſeu alio delicto tenetur.

§. XLIV.

Retulimus hactenus Tiraquelli & Farinacii ſententiam. Nobis diſtinguendum eſſe videtur, an ſcilicet ſermo ſit de *judice inferiore*, an vero de *ipſo ſummo Principe. Priori* caſu Tiraquelli ſententiæ ſubſcribimus, quod nempe delinquenti propter ſuſceptionem baptiſmi pœna promerita non ſit remittenda, quoniam judex non de legibus judicat, ſed ſecundum leges, quarum miniſter eſt. Nullibi vero leges diſponunt, quod ſuſceptio baptiſmi mitigationem, aut, quod magis eſt, remiſſionem pœnæ operetur, neque ipſi textus ex jure canonico ſupra §. XXXIIX. adducti hoc evincunt, quippe qui de foro juridico & remiſſione pœnæ in judicio dictatæ plane non loquuntur, ſed ſolum de foro interno. Et hanc noſtram ſententiam probant Petrus Theodoricus *in colleg. crimin. diſp. 10. th. 4. lit. q.* Carpzov. *prax. crim. qu. 49. num. 74.* Joh. Valer *de different. utriusque fori*

voc. Baptiſmus & alii citati ab illuſtri Lynckero *in Diſp. de Baptiſmo c. 5. §. 3. Poſteriori* autem caſu, ſi de ſummo Principe quæſtio eſt, illi ſine dubio jus adgratiandi, ut vocant, competit, modo pœna jure divino non ſit determinata, de quo v. Schilterum *in inſtit. jur. canon. l. 2. tit. 2. §. 19 in not.* ibi: *quod limitatur, quod fiat (1) non jure ordinario, ſed cognita cauſa: per aggratiationem. (2) Exceptis pœnis capitalibus de jure divino.* Et huc tandem etiam collimare videtur ipſe Farinacius *loc. cit. num. 148.* ibi: *conſulto tamen Sanctiſſimo*, & *num. 155.* ita dicit: cautela eſt, ut [Judæus delinquens] efficiatur Chriſtianus, & qui & quidem conſulto Principe res nullam habet difficultatem, quod remittitur omnis pœna, etiam quod Judæus ad illam evitandam ſe faciat Chriſtianum, prout in urbe paſſim ſervari videmus in Judæis carceratis & etiam de delicto confeſſis, qui ſtatim, ac declarant, ſe chriſtianos eſſe velle, eximentur a jurisdictione ſui judicis & ponuntur ſub jurisdictione eorum protectoris & judicis, qui hodie eſt illuſtriſſimus & Reverend. Card. S. Severina, & qui etiam *facto verbo cum Sanctiſſimo* eos ex carceribus liberat omnique delictorum indulgentia ſibi permiſſa domum Catechumenorum ipſis pro carcere aſſignat & ſi poſtea baptizati fuerint, ab omni pœna veniunt liberati, quamvis pœnæ metu chriſtiani evaſerint. Quemadmodum vero non placent, quæ mox ſubjungit Farinacius, ſcilicet, quod Judæus propter baptiſmum pœnam evadat, *etiamſi in fraudem baptiſmum ſuſceperit cauſa evadendi pœnam:* ita & Princeps hic, uti alias, circumſpecte agere debet, ne omnibus indiſtincte gratiam faciat, cum experientia teſtetur, nonnullos quidem baptiſmum ſuſcipere, eos tamen malos mores deinde neutiquam mutare, quia bono ſpiritui reſiſtentes non niſi mala operantur. Lege ſaltem, quæ adducit Autor des Denckmahls der göttlichen Regierung wegen Entdeckung des Diebſtahls an der güldenen Taffel zu Zelle. Ita vero ille p. 322. wie es denn aus unzehlichen Exempeln erhellet, auch in dieſem Inquiſitions-Proceß verſchiedentlich erwieſen,

wieſen; daß die getaufften Juden es mehrentheils mit den Juden noch immer halten, ihnen entweder Diebſtäle zuweiſen, oder doch zu dero Verrichtung, wo ſie können, Vorſchub thun, und überall zu ihrer Nation Zuneigung tragen. Et porro p. 344. Judæum aliquem dixiſſe refert: Ich läſtere ihn (JEſum) nicht, ich haſſe ihn auch nicht, er hat mir nichts zu leide gethan. Wenn der getauffte Rabbine zu Wolfenbüttel mich nicht abgerathen hätte, ſo wäre ich längſt ein Chriſt, derſelbe hat alle Schuld. Alia plura prætereo.

§. XLV.

Pergo nunc ad alium caſum. Duo infideles hactenus in conjugio vixerunt, unus ex illis fidem chriſtianam amplectitur & baptiſmum ſuſcipit, quæritur: *an poſt ſuſceptum baptiſmum conjux fidelis ab infideli divertere poſſit?* diverſa hic iterum Pontificiorum & Evangelicorum principia deprehendimus. Pontificii conjugium inter fidelem & infidelem ſubſiſtere poſſe negant, & hic perinde eſt, ſive ex duobus conjugibus fidelibus alter infidelis, ſive ex duobus infidelibus alter deinde fidelis fiat & baptiſmum ſuſcipiat. Ita in *c. 10. cauſ. 28. qv. 1. Judæi, qui chriſtianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Epiſcopo civitatis ipſius, ut ſi cum eis permanere cupiunt, chriſtiani efficiantur. Quod ſi admoniti noluerint, ſeparentur: quia non poteſt infidelis in ejus permanere conjunctione, quæ jam in chriſtianam translata eſt fidem.* Ita in *c. 15. d. cauſ. 28. qv. 1.* ex Ambroſio: *Cave, chriſtiane, gentili, aut judæo, filiam tuam tradere. Cave, inquam, gentilem, aut judæam, atque alienigenam, hoc eſt, hæreticam & omnem alienam a fide tua uxorem accerſas tibi. Prima conjugii fides caſtitatis gratia eſt. Si chriſtiana ſit, non eſt ſatis, niſi ambo initiati ſitis ſacramento baptiſmatis. Simul ad orationem nocte vobis ſurgendum eſt & conjunctis precibus obſecrandus Deus.* Adde etiam *c. 12. d. cauſ. 28. qu. 1.* ibi:

Digitized by Google

ibi: *quicunque ergo ex his, qui baptizati ſunt, a modo infidelium conſortia non vitaverint, &c.*

§. XLVI.

Nos quidem facile largimur, quod ejusmodi matrimonium fidelis cum infideli multa habeat incommoda, quæ adducit Arniſæus *de jure connub. c. 6. ſect. 5. n. 25. ſeq.* citatus à B. Strykio *in not. ad Brunnem. jus eccleſ. l. 2. c. 17. §. 8. verb. cum infideli contractum.* Interim tamen ſi ejusmodi matrimonium ſemel contractum fuerit, illud ne quidem à ſummo Pontifice diſſolvi poſſe, defendit Ponce *de matrim. l. 9. c. 2. n. 11. ſqq.* ab eodem Strykio allegatus. Noſtrates quoque eam fovent opinionem, matrimonium propterea diſſolvi non debere, quamvis unus conjugum fidelis factus, alter vero adhuc infidelis ſit, idque liquido probant ex textu *1. Cor. 7. verſ. 12. 13. 14. Si quis frater uxorem habet infidelem, quæ libens conſentiat ad habitandum cum eo, ne eam dimittito: & uxor, quæ habet virum infidelem, qui libens conſentiat ad habitandum cum ea, ne eum dimittito. Maritus enim infidelis ſanctificatus eſt in uxore,* & *uxor infidelis ſanctificata eſt in viro: alioqui certe liberi veſtri impuri eſſent: nunc autem ſancti ſunt,* conf. B. Stryk. *in not. ad Brunnem. jus eccleſ. l. 2. c. 17. §. 8. verb. cum infideli contractum,* & *ad §. 30. verb. ſi paganus.* Nec obſtat prohibitio divina, quod matrimonia judæorum cum Cananæis in veteri teſtamento prohibita fuerint, *Exod. 34. v. 16. Deut. 7. v. 3.* hæc enim prohibitio forenſis ex peculiaribus circumſtantiis facta Chriſtianos ſub novo fœdere non ſimpliciter ſtringit, de quo pluribus Carpzov. *jurispr. eccleſ. l. 2. def. 7. num. 15. ſeqq.* Imo ipſe Papa Innocentius III. *in c. gaudemus 8. X. de divort.* ſatis clare pronunciat, *quod per ſacramentum baptiſmi non ſolvantur conjugia, ſed crimina dimittantur.*

Digitized by Google

§. XLVII.

Interim hoc per ſe manet, quod ſi conjux infidelis, poſtquam alter baptiſmum ſuſcepit & fidelis factus eſt, hunc baptizatum *malitioſe deſerat*, ille fidelis deſertus ex capite deſertionis ad divortium agere poſſit. Hoc enim niſi fallimur, ipſe Apoſtolus innuit *1. Corinth. 7. verſ. 15. atſi infidelis ſeſe ſeparet, ſeparatus eſto, non eſt ſervituti ſubjectus frater, aut ſoror in hujusmodi rebus, ſed ad pacem nos vocavit Deus.* Hic etiam Apoſtolum ſequitur jus canonicum in *c. 3. cauſ. 28. qu. 1. ſimili modo, ſi unus ex conjugatis baptizatus eſt, alter gentilis, & ſequi non vult, ſicut dicit Apoſtolus, infidelis ſi diſcedit, diſcedat.*

§. XLIIX.

Ex modo dictis facile reſolvi poteſt quæſtio: *annon pro bigamo ſit reputandus, qui ante baptiſmum uxorem habuit, & poſt ſuſceptum baptiſmum aliam ſuperinducit?* Nota tamen hic primo contradictionem juris canonici à Wiſſenbachio non obſervatam. In *c. 1. cauſ. 28. qu. 2.* ita habetur: *ſi quis habuerit uxorem virginem ante baptiſmum, vivente illa poſt baptiſmum, alteram habere non poteſt. Crimina enim in baptiſmo ſolvuntur, non conjugia.* Item in *c. 2. cauſ. 28. qu. 2. acutius vero intelligunt, qui nec eum ordinandum cenſuerunt, qui ante baptiſmum habuerit unam & poſt baptiſmum alteram. In baptiſmate enim crimina abolentur, non fœderatio conjugii diſſolvitur. Sicut illa, quæ catechumena vitiata eſt, inter Dei virgines conſecrari non poteſt: ſic qui ante baptiſmum habuit unam & poſt baptiſmum alteram, non niſi bigamus eſt reputandus: amiſit enim quiddam non ad vitæ meritum: ſed ad ſignaculi ſacramentum.* Habetur hic pro bigamo, qui ante baptiſmum unam in matrimonio habuit, & poſt baptiſmum alteram. Contrarium vero habetur in *c. 1. cauſ. 28. qu. 3. oportet Epiſcopum unius uxoris eſſe virum. Verum hoc poſt baptiſ-*

baptiſmum. Ceterum ſi ante baptiſmum habuit unam, & poſt baptiſmum habuerit aliam, non eſt reputandus bigamus, cui prorſus innovato per baptiſmum omnia vetera ſunt dimiſſa. Quid nos jam? ſcilicet inhæremus principiis in §. *XLVI. & XLVII.* poſitis. Ergo diſtinguimus. Si infidelis baptizatum malitioſe deſerit & baptizatus poſt ſuſceptum baptiſmum aliam uxorem ſuperinducit: pro bigamo non erit reputandus. Quod ſi vero v. g. uxor infidelis marito fideli poſt baptiſmum adhuc ulterius cohabitare vult, maritus vero baptizatus eam deſerit & alii ſeſe in matrimonio jungit: crimen polygamiæ ſine dubio illo committit, quoniam prius matrimonium nondum ſolutum erat.

§. XLIX.

Quod ſi infidelis contra jus divinum in contrahendo matrimonio peccaverit, & peccatum illud adhuedum duret: poſt ſuſceptum baptiſmum hoc emendare & ſecundum jus divinum vivere debet. Ergo, ſi v. g. *bigamus fuit*, eam uxorem retinere tenetur, quam prius duxerat, quia cum hac legitimum matrimonium initum, altera vero eſt dimittenda. Quod ſi ante baptiſmum *uxorem primam deſeruiſſet ducta alia:* hanc poſt converſionem iterum dimittere & ad priorem redire deberet. Eodem modo, ſi *frater ſororem duxerit* eo tempore, quo paganus erat: ab eadem poſt baptiſmum ſuſceptum ſeparandus erit, Sanchetz *de matrim. l. 7. diſp. 52. num. 12.* B. Stryk *in not. ad Brunnem, jus eccleſ. l. 2. c. 17. §. 30. verb. ſi paganus.*

§. L.

Sed quid, ſi quis *fratris filiam* duxiſſet ante ſuſceptum baptiſmum? Et haſce perſonas ſeparandas eſſe poſt baptiſmum, cenſet B. Stryk. *loc. cit.* quia quamdiu quis fratris filiam tenet, in peccato contra jus divinum vivit, quam pec-

cati

cati continuationem baptizato & converſo permittere velle, non ſine peccato eſſet. Nos huic ſententiæ omnino ſubſcribimus, quamvis enim hoc matrimonium *Levit. 18.* expreſſis verbis non ſit prohibitum; ibi tamen non ſolæ perſonæ enumeratæ, ſed aliæ etiam, ubi paritas gradus & rationis adeſt, ſub enumeratis intelliguntur. Interim tamen multi etiam DD. in ea ſunt opinione, quod ejusmodi conjugium cum fratris filia non ſit lege divina prohibitum, v. Brückneri *deciſ. jur. matrim. c. 6. n. 17.* quam opinionem quoque amplexus eſt Papa Innocentius III. in *c. 8. X. de divort.* reprehenſus propterea â B. Strykio *loc. cit.* Ita vero Papa: *fideles hujusmodi matrimonialiter copulati libere poſſunt & licite remanere conjuncti, cum per ſacramentum baptiſmi non ſolvantur conjugia, ſed crimina dimittantur.*

§. LI.

Tangendi nunc nonnulli caſus ad *materiam ſucceſſionis ab inteſtato* pertienentes. Quæritur: *utrum liberi ante ſuſceptum a parentibus baptiſmum procreati admittendi ſint cum illis, qui poſt baptiſmum generati fuerunt?* Reſponſionis loco adponemus integrum *c. 1. cauſ. 28. qu. 1.* ubi Innocentius Ruffo & Euſebio Epiſcopis Macedonibus in hunc modum ſcribit: *Nunquid non erunt admittendi in hæreditatis conſortium, qui ex ea ſuſcepti ſunt, quæ ante baptiſmum fuit uxor? eruntque appellandi, vel naturales, vel ſpurii, quia non eſt matrimonium legitimum (ut vobis videtur,) niſi illud quod poſt baptiſmum adſumitur?* Hactenus rationes dubitandi, nunc reſponſio ſequitur: *ipſe Dominus cum interrogaretur à Judæis, ſi liceret dimittere uxorem, atque exponeret, fieri non debere, addidit: quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Ac ne de his putetur eſſe locutus, qui poſt baptiſmum uxores ſortiuntur, meminerint, & hoc a judæis interrogatum & judæis eſſe reſponſum. Quæro, & ſollicitus quæro, ſi una & eadem ſit uxor ejus, qui antea catechumenus, & poſtea ſit fidelis, filiosque*

que ex ea, cum eſſet catechumenus, ſuſceperit, & poſtea alios filios, cum fidelis; utrum ſint fratres appellandi, annon habeant poſtea defuncto patre cum ceteris herciſcundæ hereditatis conſortium, quibus filiorum nomen regeneratio ſpiritualis videtur abſtuliſſe? Quod cum ita ſentire atque judicare abſurdum eſt, (ſcilicet, quod regeneratio ſpiritualis in baptiſmo facta filiorum nomen abſtulerit,) *quæ* (*malum*) *ratio eſt, hoc defendi, & vacua magis opinione jactari, quam aliqua autoritate roborari, cum non poſſit inter peccata deputari, quod lex præcipit & Deus injungit*. Ergo mens Innocentii hæc eſt, quod ante baptiſmum ſuſcepti cum liberis poſt baptiſmum generatis ad hereditatem paternam ſint admittendi, ex ratione, quia etiam illud matrimonium eſt verum matrimonium, in quo parentes ante ſuſceptum baptiſmum vixerunt. Ut hæc mens Innocentii eo clarius pateat, ſubjiciamus nonnulla ex *can. 3. diſtinct. 26.* in quo idem ille textus modo adſcriptus, plenius tamen refertur. Ita vero ibi: *in fin. Nuptiarum ergo copula, quia Dei mandato perficitur, non poteſt dici peccatum: & quod peccatum non eſt, ſolvi inter peccata, credi omnino non debet: eritque integrum æſtimare, aboleri non poſſe prioris nomen uxoris, cum non dimiſſum ſit pro peccato, quod ex Dei ſit voluntate completum.*

§. LII.

Hæc tamen ex principiis juris canonici & civilis ita intelligenda eſſe exiſtimo, modo liberi ante baptiſmum patris ſuſcepti & adulti facti baptizari ſe curent. Alias enim, ſi baptiſmum contemnunt, pro hæreticis habentur, qui ex principiis vulgo notis ſucceſſionis neque legitimæ, neque teſtamentariæ ſunt capaces, *v. l. 19. C. de hæret. ibique Brunnem. l. ult. C. eod.* Nec etiam apud nos ad ſucceſſionem poſſent admitti, quoniam juxta leges publicas nullæ præter Evangelicas, Reformatam & Lutheranam, atque Romano-Catholicam religionem in Imperio tolerantur. Qui vero baptiſ-

baptiſmum contemnunt, principiis omnium harum religionum contradicunt & ſic iterum tanquam hæretici conſiderantur, conf. hic Stryk *de ſucceſ. ab inteſtat. Diſſ. 12. c. 2. §. 8.*

§. LIII.

Dixi: eos pro hæreticis reputari, qui baptiſmum *contemnunt.* Sed quid de *parvulis ante baptiſmum decedentibus* dicendum erit? v. g. moritur maritus uxore gravida relicta: deinde poſthumus vivus in lucem editur quidem, ſed tamen ante ſuſceptum baptiſmum ſtatim moritur, quæſtio eſt, an patris hereditas in poſthumum non baptizatum, & ab hoc in matrem devoluta fuerit? Novi caſum, quod apud Romano-Catholicos ejusmodi infantibus jus ſuccedendi fuerit denegatum, quod ſine dubio ex eodem fundamento provenit, ex quo honeſta ſepultura per ſupra adducta ipſis denegabatur, alii enim ex Pontificiis ejusmodi infantes cum aliis hæreticis ad orcum plane, alii ad locum dubium relegant. Cum vero Evangelicorum alia de hac re ſit ſententia; hinc etiam apud eos infantibus ante ſuſceptum baptiſmum decedentibus jus ſuccedendi nemo in dubium vocabit.

§. LIV.

Videamus, quid jure Sueonum & Gothorum vetuſto intuitu hujus quæſtionis conſtitutum fuerit. Meretur locus apud Stiernhökium *de jur. Sveon. & Gothor. vetuſt. l. 2. part. prior. c. 3. p. 198.* ut integer hic adſcribatur. Succeſſiones etiam, inquit, non baptizatis nullæ datæ fuerunt, quæ leges in favorem Chriſtianiſmi, cum primum hic plantaretur, introductæ, poſtea retentæ ſunt, ad acuendam parentum curam in religionis ſtudio & ſacrorum initiatione. Gothi in Hiſpania non baptiſmum tantum, ſed & 20. dierum vi-

tam requiſiverunt, ut capax eſſet hereditatis. De noſtro vero jure Sueo-Gothico, Danico etiam & Saxonico ſufficit, ſi modo perfectus fœtus ſpiritum ducat & mammam ſuget: Warder ſödd medh Nägel och Näſa, medh Huut och Häär, drager anda och titt framm. Hedning må ey arff taka. Solum jus Sudermannicum diſcrepat, quod absque alia mentione Chriſtianiſmi hereditatem tribuit, modo conſtet de perfectione & vita & recte quidem meo judicio. Baptizari enim non eſt in arbitrio infantis. Itaque ſi quid parentum, aut tutorum culpa hic peccatur, potius ipſis, quam ſoboli imputetur, quamvis in ipſos quoque, ut proximos ſucceſſores, ſæpe damnum redundet.

§. LV.

Defectus itaque baptiſmi ex principiis Evangelicorum eum non excludit a capienda hereditate, qui baptiſmum non contempſit, v. g. ſi quis ex parentibus proprio ingenio ductus liberos ſuos baptizari nolit, hoc enim infantibus imputari non poſſet, quia, uti Stiernhöök dicebat, baptizari non eſt in arbitrio infantis. E contrario autem, quamvis ſupra dictum fuerit, quod apud Romano-Catholicos ex compaternitate cognatio ſpiritualis oriatur; *illa tamen cognatio ſpiritualis jus ſuccedendi non tribuit*, & porro, quamvis proximi cognati tutelam cognatorum impuberum ſuſcipere teneantur; *cognatio tamen ſpiritualis obligationem ad ſuſcipiendam tutelam non producit.* Hinc gloſſa ad Land-R. *lib. 1. art. 3.* Nach der Gevatterſchafft nimmt man kein Erb, komt auch nicht zur Vormundſchafft, ſondern ſie hindert allein an der Heyrath und dem Ehe-Leben, conf. Dietherr. *in addit. ad Beſold. theſaur. pract. voc.* Tauff, Gehetauff.

§. LVI.

Jungo alium caſum, qui mea ætate contigit. Certus

tus quidam eccleſiæ miniſter abſente collega Titii infantem baptizaverat. Poſtquam baptizatus ille ad adultam ætatem pervenerat & jam prævia confeſſione, in nonnullis eccleſiis Lutheranis adhuc uſitata, ſacra cœna uti volebat, miniſter ille, qui hunc baptizaverat, prætendebat, ut præciſe ejus miniſterio in audienda confeſſione uteretur, quamvis baptizati parentes miniſterio alterius miniſtri, qui tempore baptiſmi abſens erat, ſemper uſi fuiſſent. Quæritur: *an Miniſter eccleſiæ, qui aliquem baptizavit, jure prætendere poſſit, ut baptizatus præciſe ejus miniſterio in audienda confeſſione pecccatorum utatur?* Nos pro adfirmativa medium terminum hactenus invenire non potuimus, & ergo negativam tuemur, & huic ſententiæ ſine dubio etiam omnes ingenui verbi divini miniſtri ſubſcribent. Hoc quidem certum eſt & apud nos conſtitutum, ut quilibet in ea parochia ſacramentis eccleſiæ utatur, in qua domicilium habet; ſed vero, ſi plures miniſtri in eadem parochia deprehenduntur, optio cuilibet permittitur, utrum hujus, an alterius miniſterio uti velit. Jura bannaria hic exulant, quæ alias quoque avaritiam ſaperent.

§. LVII.

Alias hic etiam tangere poſſemus omnes illas controverſias, quæ de hæreticis in jure inveniuntur, quia illi, qui baptiſmum contemnunt, hæretici ſunt & per conſequens effectu baptiſmi juridico frui nequeunt; verum, cum hæc in compendiis & ſyſtematibus paſſim proponantur, nonnullas ſaltem adſertiones per modum indicis adduxiſſe ſufficiens erit. Ita hæretici non adſumuntur in numerum civium: contra orthodoxos teſtimonium dicere non poſſunt: multo minus ad dignitates & officia publica admittuntur: nec bona allodialia, nec feudalia adquirunt, aut ſi quæ forte habent per indulgentiam, de iis tamen non teſtantur; uxores hæreticæ non gaudent jure prælationis in dote & ne quidem

dem tacitam hypothecam in bonis mariti habent. Verbo: hæretici ab omnibus privilegiis alieni ſunt, conf. *l. 1. & Auth. item privilegium C. de hæret.* Ex quo fundamento hoc provenerit? de eo nunc non diſputo.

§. LIIX.

Ad accidentales juris effectus intuitu baptiſmi hoc etiam refert Schilterus *inſtit. jur. canon. l. 2. tit. 2.* §. *19.* quod nempe baptizatus obligetur *de non militando adverſus chriſtianos, ſive fideles.* Quemadmodum vero Concilium Toletanum 1. ab ipſo adlegatum *c. 8.* in hunc modum ſaltem diſponit*: ſi quis poſt baptiſmum militaverit, & chlamydem ſumſerit, aut cingulum ad necandos fideles, etiamſi gravia non admiſerit, ſi ad clerum admiſſus fuerit, diaconi non accipiat dignitatem*: ita quoque ille effectus hodie parum, vel plane non conſpicitur.

§. LIX.

Apud Pontificios effectus baptiſmi non ſolum intuitu hominum, ſed *campanarum* quoque conſpicitur, ſcilicet hæ baptizatæ numero rerum in commercio exiſtentium eximuntur, ut de vi excitandi devotionem, pellendi dæmones & ſedandi tonitrua tempeſtatesque ſonoras nihil dicamus. De omnibus hiſce effectibus fuſe jam actum eſt a Dn. Præſide *in Diſp. de eo, quod juſtum eſt circa campanas*, unde illa repetere nolo, ſed ex Joachimi Hildebrandi *rituali baptiſmi veteris p. 52.* modum baptizandi ſaltem refero, quem Hildebrandus ex Sleidano hauſit. Ita vero ille: Erſtlich hangen ſie die Glocke auf, damit der Biſchoff könne umher gehen, darauf werden etliche Pſalmen gemurmelt, der Biſchoff weihet das Waſſer und Saltz, miſchet es durch einander und wäſchet die Glocke damit in- und auswendig. Wäſchet hernach die Glocke wieder ab, und ſchmieret ein Creutz mit Oel darauf,

auf, und bittet, daß Gott, wenn die Glocke geläutet wird, Glaube und Liebe in der Menſchen Hertzen vermehren, und Hagel, Donner, Wind, Ungewitter wolle abwenden; darauf wiſchet er das Oel-Creutz wieder ab, machet andere ſieben Creutze darauf, ſpricht etliche Pſalmen, beräuchert die Glocke und wünſchet ihr viel Glück. Darauf wird denn eine gute Mahlzeit angeſtellet, als wäre es eine Kind-Tauffe. Alia vide *in cit. Diſput.*

§. LX.

Poſtquam baptiſmus ſemel ſuſceptus, *effectus ejus perpetuus eſt.* Rationem deſumit Schilter *inſtit. jur. canon. l. 2. tit. 2. §. 31. in not.* ex natura S. baptiſmatis & fœderis, ſeu ſocietatis cum Deo & homine, quæ *interne* contrahitur. Deinde ex ſocietate *externa* & receptione baptiſati in eccleſiam viſibilem, qui eo ipſo characterem chriſtianitatis recipit. Prior, nempe interna ſocietas cum Deo, non diſſolvitur per peccata, ut novo fœdere baptiſmali opus ſit: multo minus poſterior, ſcilicet externa. Quæ vero ſubjungit Schilterus: *quia parvuli baptiſamur, ut fere immemores ſimus juramenti præſtiti: ideo conſulere Eraſmum ad epiſt. 1. S. Hieronymi p. 4. ut adoleſcentibus renovetur tota profeſſio baptiſmi &c.* ea magis ad finem theologicum, quam juridicum obtinendum pertinere videntur.

§. LXI.

Effectus baptiſmi cum perpetuus ſit, ſequitur, eos peccare, qui baptiſmum reiterant, imo iterationem ejusdem pro neceſſario quodam venditant. Et hinc *Anabaptiſtæ* apud nos in imperio Romano-Germanico non tolerantur, ſed potius pœna capitis ipſis dictitatur. Ex plurimis aliis textibus, qui in Receſſibus Imperii habentur, unum ſaltem adducemus ex *Rec. Imp. de A. 1529. §. 39.* ibi: Solchem Ubel,

Digitized by Google

Ubel, und was daraus folgen mag, vorzukommen, Fried und Einigkeit im Heil. Reich zu erhalten, auch alle Diſputation und Zweifel, ſo der Straff halber des Wiedertauffs folgen möcht, aufzuheben; ſo verneuten wir die vorigen Kayſerlichen Geſetze, auch obgemeldte unſer darauf gefolgte und ausgekündigte Mandat, Ordnen, ſetzen, machen und declariren demnach aus Käyſerlicher Macht, Vollkommenheit und rechtem Wiſſen und Wollen, daß alle und jede Wiedertäuffer und wiedergetaufte Mann- und Weibs-Perſonen, verſtändigs Alters vom natürlichen Leben zum Tod mit Feuer, Schwerd oder dergleichen, nach Gelegenheit der Perſonen, ohn vorgehend der geiſtlichen Richter Inquiſition, gericht und gebracht werden. Und ſollen derſelben Vorprediger, Hauptſächer, Landläufer und aufrühriſche Aufwickler, des berührten Laſters des Wiedertauffs, auch die darauf beharren, und diejenigen, ſo zum andernmahl umfallen, hierin keinesweges begnadet, ſondern gegen ihnen vermög dieſer unſer Conſtitution und Satzung ernſtlich mit der Straff gehandelt werden. Et porro in §. 41. Desgleichen ſoll keiner des andern Unterthanen oder Verwanden, ſo aus angezeigten Urſachen von ihrer Obrigkeit gewichen und ausgetreten, enthalten, unterſchleifen, oder fortſchieben, ſondern alsbald dieſelbe Obrigkeit, darunter ſich der Entwichen enthält, ſolcher Uberfahrung innen oder gewahr wird, ſoll er gegen denſelben, ſo alſo entwichen, laut obberührter unſer Satzung ſtrenglich handeln und ſie darüber nicht bey ſich leiden, oder dulden, alles bey Pön der Acht.

§. LXII

Cum tamen anabaptiſtæ in Receſſibus imperii vocentur Friedbrecher, Hauptſächer, Landläuffer, Aufrührige, Auffwickler, *Rec. Imp. de A. 1529. §. 6.* die verdammte, aufrühriſche, und unchriſtliche Sect des Wiedertauffs, in der Stadt Münſter in Weſtphalen gelegen, durch etliche leichtfertige aufrühriſche Perſonen muthwillig erweckt, *Receſſ. Imp. de Ao. 1535. in proœm.* add. *id. Receſſ.* §. 41. ibi: wo ſich der gemeine Mann und ſonderlich

derlich die Wiedertäuffer zu rottiren und zu verſammlen, die Stadt Münſter zu retten, oder beſchwerliche Empörung zu erwecken, unterſtehen; hinc exiſtimamus ea, quæ de pœna capitali anabaptiſtis infligenda in citatis Receſſibus Imperii habentur, ad ejusmodi ſeditioſos homines reſtringenda & aliis emigrationem ſolum injungendam eſſe. Quod enim omnes talia ſeditioſa principia non foveant, ex eorum ſcriptis oſtendit Dn. Buddeus *in Diſp. de concord. relig. chriſt. ſtatusque civil. cap. 6.* ſententiam noſtram confirmat Matth. Weſenbecius *in Comm. ad tit. C. ne ſanctum baptiſma iteretur in fin.* his verbis: *Ceterum, quod videmus, nunc in anabaptiſtas gladio quandoque animadverti, hoc compertum eſt non ratione erroris, ſed ob ſeditiones, vel adulteria, jure capitalia, quibus hoc genus plerumque contaminatum eſt, illis evenire,* & eſt communis quoque noſtratium ſententia contra Pontificios, quod hæretici capite non ſint plectendi, niſi cum hæreſi ſeditio & blaſphemia concurrat. Carpzov. *prax. crim. qu. 44. num. 41. ſeqq.*

§. LXIII.

Ex jure canonico de iteratione baptiſmi hæc adducit Schilter. *Inſtit. Jur. Can. l. 2. tit. 2. §. 31.* Qui per ignorantiam bis baptizatus, vix admittitur ad S. miniſterium, *Diſt. 4. de conſecrat. c. 117.* (quamvis abſtrahendo a jure canonico ego non videam, quid hac in parte ejusmodi *ignoranti* imputari queat.) Qui ſciens, ſive ad curandum morbum, ſive lucri cauſa, ſive ex hæreſi, ſubjicitur pœnæ eccleſiaſticæ, *can. apoſt. 46. ſeq. Concil. Carthag. I. c. 1. Carthag. III. c. 38. & 48. Aurel. III. c. 24. Diſt. 4. de conſecrat. c. 118.* Qui baptizatum rebaptizat, deponitur, *l. 1. C. ne ſanct. baptism. iter.* ſi eſt apoſtata capite plectitur, *l. 2. C. eod.* (quem tamen textum Weſenbecius de capite civili, & ſic de deportatione ſolum intelligit *loc. cit.*) aut mulctatus decem libris auri in exilium pellitur, *l. 3. C. eod.*

 §. LXIV.

§. LXIV

Porro is, qui ſe ipſum, aut parentes, qui liberos ſæpius baptizari faciunt, idque lucri cauſa, *crimen falſi* incurrunt. Caſum huc pertinentem refert Carpzovius *prax. crim. qu. 93. num. 43.* Accidit, inquit, talis caſus Ao. 1597. ubi fœmina quædam infantem ter baptizari fecerat, eo tantummodo fine, quo pecuniam & munera, quæ vulgo teſtes baptiſmi, ceu teſſeram fidei datæ, baptizato offerre ſolent, idiomate noſtro das Pathen-Geld, lucraretur, quod delictum tanto atrocius fuit, quanto majori blaſphemia ſacroſanctum baptiſmatis ſacramentum fuerat reiteratum. Ergo fœminæ iſti fuſtigatio cum perpetua relegatione a Scabinis Lipſienſibus dictata fuit, prout *num. 44.* ſequentem ſententiam ſubnectit Carpzovius: Dieweil aus denen überſandten Schrifften zu befinden, daß die Gefangene ihr Kind in dreyen unterſchiedlichen Kirchen und Orten wiſſentlich, allein um des Pathen-Gelds willen tauffen laſſen, ſie ſolches auch ſelbſten bekandt und geſtanden; ſo wird ſie von wegen ſolches vorſetzlichen Mißbrauchs der H. Tauffe mit Staupenſchlägen des Landes ewig billig verwieſen. Cingari ſæpe idem facere ſolent, unde in Electoratu Saxoniæ in *art. gener. tit. 6.* diſpoſitum, eos præcipue ex hac cauſa non eſſe tolerandos, ibi: Dieweil ſich auch mehrentheils zugetragen, daß die Zügeuner ihre Kinder, wie zu beſorgen, allein um Gewinns willen tauffen laſſen, und alſo geſchehen könte, daß ſie mehr dann einsmals, durch die Paſtores unwiſſend getaufft würden, add. Dn. Lyncker *Diſp. de baptiſmo c. 4. §. 3.* ubi adhuc alias ordinationes adducit.

§. LXV.

Sed quæritur: *an nomen in baptiſmo impoſitum mutare deinde liceat?* Reſpondent Impp. Dioclet. & Maxim. in *l. un. C. de mutat. nom. ſicut in initio nominis, cognominis, prænominis recognoſcendi ſingulos impoſitio libera eſt privatis: ita*

eorum

eorum mutatio innocentibus periculoſa non eſt. Mutare itaque nomen, vel prænomen, (ſive cognomen,) ſine aliqua fraude, ſi liber es, ſecundum ea, quæ ſæpe ſtatuta ſunt, minime prohiberis: nullo ex hoc præjudicio futuro. Non obſtat, quod quis nomen aliquod in baptiſmo acceperit; hoc ipſo enim illi non impoſita neceſſitas, hoc nomen retinendi, cum baptiſmus nihil commune habeat cum nominis impoſitione, ſunt verba B. Strykii *in not. ad Lauterb. tit. de L. Corn. de falſ. verb. præjudicium tertii.* Monet tamen ſimul beatus vir, quod ſi quis poſtea in ſuſpicionem alicujus criminis incidat, hoc non parum aliis concurrentibus ipſum gravet, quod diverſo nomine uſus fuerit.

§. LXVI.

Baptiſmus & ſpiritualem & juridicum effectum producit: *quamvis ab hæretico collatus fuerit*, modo nihil ex ſubſtantialibus baptiſmi deſit. Controverſia: an ab hæreticis baptizati ſint rebaptizandi? miſere quondam diſcerpſit & adflixit eccleſiam: ut verbis Ziegleri *ad Lancell. inſtit. jur. canon. l. 2. tit. 3. §. 4. verb. ſed & ſi qui ab hæreticis*, utar. Ipſe enim Cyprianus, magnum eccleſiæ lumen, multique epiſcopi in ea erant ſententia, baptiſmum ab hæreticis collatum non producere effectum ſalutarem, ſed opus eſſe, ut rebaptizentur hoc modo baptizati. Obtinuit tamen ſententia contraria, quoniam baptiſmi effectus a qualitate miniſtri eum conferentis non dependet & fidelitas, vel infidelitas miniſtri, integritati ſacramenti nihil confert, vel detrahit, unde etiam baptiſmum validum eſſe cenſent, licet a Paſtore veram quidem religionem ore profitente, ſed tamen impio collatus fuerit, vid. Brunnem. *jur. eccleſ. l. 2. c. 1. membr. 2. §. 4. & 6. ibique Stryk. in not.* qui ad verba: *ab hæreticis baptiſati*, ex Thuano *lib. 30. hiſt. ad A. 1562.* refert, infantes Reformatorum quondam a Pontificiis rebaptizatos fuiſſe, id tamen hodie nec ab ipſis Pontificiis probari.

Digitized by Google

§. LXVII.

Quicunque effectu baptiſmi frui vult: ille *ſe baptizatum eſſe probare debet*, hoc enim ad quæſtionem non juris, ſed facti pertinet, unde DD. dicunt, in dubio non præſumi, quod aliquis baptizatus ſit, v. Gothofred. *ad l. 1. C. ne ſanct. baptiſma iteret.* Probatio vel per teſtes fit, vel per inſtrumenta. Teſtimonium de ſuſceptione baptiſmi perhibere poſſunt illi, qui in actu baptiſmi præſentes fuerunt & omnium optime patrini. Ad inſtrumenta præcipue refero librum parochi, in quo paſſim deſcribuntur nomina & cognomina eorum, qui ab eo ſacro baptiſmatis fonte luſtrati fuerunt, Tauff-Buch, talis enim liber vim probandi habet, v. Beſold. *in theſ pract. voc.* Tauff-Bücher ibique Dietherr. *in addit.* Ita in *Ordinat. eccleſ. Brunſvic. de A. 1709 part. 1. c. 8. §. 10.* Es ſoll auch bey einer jeder Pfarr ein Buch gehalten, und darinn alle getauffte Kinder mit ihren Namen, auch ihrer Eltern und der Gevattern Namen, auch in welchem Jahre, Monat und Tage ſie getauffet, mit ſonderbahrem Fleiß angezeichnet werden, deſſen ſich nachmahls nicht allein die Obrigkeiten, ſo offt von ihnen ein Zeugnis der Geburth erfordert wird, haben zu gebrauchen, ſondern auch die Kinder jedesmal und inſonderheit zu der Zeit, wenn ſie ihr öffentlich Bekänntnis ihres Glaubens thun, erfahren mögen, was ſie für Gevattern, oder Zeugen, der empfangenen Tauffe gehabt. Aliud obtinet, ſi infantibus expoſitis ſchedula adjiciatur: in eaque exprimatur, infantem jam baptizatum eſſe, ſchedulæ enim peſſimæ matris in re tanti momenti fides tuto adhiberi non poteſt, unde infans talis adhuc baptizandus eſt, v. Stryk. *in not. ad Brunnem. jus eccleſ. l. 2. c. 1. membr. 2. §. 7. verb. non conſtet aliquem baptiſatum.* Niſi forte in illa ſchedula ſimul expreſſum ſit, quo in loco & a qua perſona baptiſmus infanti fuerit collatus & tunc ex ulteriori inveſtigatione de veritate rei conſtet. Alias ſane de illo, qui natus eſt de parentibus chriſtianis (honeſtis ſcilicet) & inter chriſtianos fideliter converſatus,

Digitized by Google